SAPIENTIA IESV FILII SIRACHI, SIVE LIBER DE VNIVERSA VIRTVTE, INTERPRETATIONE LATINA EXPOSITVS

A

IOACH. CAMERAR.

CVM QVORVNDAM locorum notatione.



LIPSIAE,

ANNO

M. D. LXVIII.

CVM PRIVILEGIO.

IOACHIMVS CAMERARIVS IOHANNI CRATONI AD CRAPHTHAEmium, Medico Imperatoriæ Maiestatis, viro dignitate, virtute & doctrina eximia prædito, amico S S.

S. D.

CVm te cognouerim paratum esse obsequi mihi in omnibus, nimirum decet me vicissim tua caussa velle facere omnia. Conueniebat autem nos videre, quatenus amor in amicitia progredi debeat, vt ait Cicero. Non loquor iam de ijs, in quibus inest turpitudo sceleris aut flagitij (quæ ne in mentem quidem nobis veniunt, ne dum ex ore exeant, vt alter ab altero petat) sed ijs, quæ conantes aliquos interdum vires solent frustrari, quod subeant illi onus humeris suis, cui ferendo non sufficiunt, contra præceptum sapientiæ huius, quæ est modo in manibus, βάρος ὑπέρ σε μὴ ἄρῃς. In quo ipso nihil vitij esse, dici non potest. Verum in

hoc genere qui peccant, ij magis imprudentes quam improbi & sunt & habentur. In re autem honesta amici caussa non solum velle, sed experiri quoque omnia, nullo modo est reprehendendum. Neque enim tunc fere quicquam recusationi prætendi potest, quod non habeat speciem defugiendi laborem aut molestiam in fungendo officio amici. Hæc vt quasi prænarrarem, caussam dedit eius operis consideratio, cuius elaborationem mihi iampridem imposuit humanissima postulatio tua, cum ego illam aliquando publicæ lectioni denegassem. Interpretandum enim eo tempore, Græcum scriptum, quod à me edebatur, non putaui, cum alias ob caussas, tum, vt verum dicam, quod animus abhorrebat ab orationis illa forma, in qua nihil esset, quod Græci sermonis proprietatem & elegantiam redoleret. Neque etiam, vt ingenue fatear, libebat animum cogitationemque intendere in externæ & alienæ locutio-

cutionis intelligentiam. Cum præſertim animaduerterem, hanc quoque mirificis flexibus à ſimplice quaſi ſtatura eſſe detortam, & figuris multiplicibus, tanquam verſicolorem veſtem, exquiſita varietate diſtinctam. Offendebar etiam diſſentanea verbis minus apte compoſitis, elocutione, *τῆς λέξεως τῷ ἀκαταλλήλῳ τὲ καὶ ξένῳ θαμὰ σολοικιζούσης.* Quæ non illa quidem faſtidiebantur à me aut contemnebantur, quod inamœna eſſent, & venuſtate atque gratia bonæ ornatæque & copioſæ orationis deficerentur, ſed relinquebantur deſerendo partim in dolore, quod præclaræ ſententiæ minus dilucide, ad meum ſcilicet captum, efferri viderentur, partim in deſidia, quod his exquirendis atque ſcrutandis, cum propriæ commentationis, tum interrogandi alios laborem moleſtiamq; fugerem, non tam explicatoris ſolertiam plæriſq;, quam coniectoris ſagacitatem requirẽtibus. Iam quo pacto laceratum & quam mi

ſere diſcerptum iſtius libelli opuſcu=
lum fuerit, & de S. Hieronymi indi=
cio, & de diuerſis editionibus, quæ
etiam ad nos peruenerunt, euidenter
perſpicitur. Hæc profecto omnia
efficere potuerunt, vt huic petitioni
tuæ refragarer. Quod etſi non acci=
dit, facilitatem tamen meam retarda=
uit non tam pigritia, quam de euentu
conatus huius ſolicitudo. Poſt mor=
tem enim præſtantiſsimi dignitate, vir
tute, ſapientia & humanitate viri Dn.
Quirini Schlaheri ſummi amici tui
(quem libelli iſtius interpretationem
quandam vulgata ſinceriorem, magno
deſiderio expetere ſcripſeras) meæ o=
peræ nonnihil ceſſarunt. Quæ crebri=
tate tuarum litterarum rurſum inſti=
gatæ tandem proceſſerunt, & abſol=
uerunt inſtitutum, adhibita ſane di=
ligentia ſtudij maxima, ſed qua ſatis
expectationi meæ factum non ſit. Vt
neque aliorum iudicij approbationem
requiram, neque abs te gratiam aliam
ſperem, niſi gratificationi & obſe=
quio

quio debitam. Conatus equidem ſum, quædam ſic conuertere, vt Latini ſermonis quaſi facies appareret. Sed in plurimis fieri hoc non debuit, ne declinando aſperitatem & diſcrepantitiam ſermonis externi atque abſoni, inciderem in maius incommodum obſcuratæ aut deformatæ ſententiæ eximiæ atque ſingularis. Id quod eſſet fugientem cinerem in prunas deferri, ſecundum prouerbium Græcorum. Cum præſertim non vellemus conuertere Græca in Latinum παραφραστικῶς (id eſt exponendo ſententiam autoris iudicio meo, & ea orationis forma, quæ mihi arrideret) ſed μεταφραστικῶς, quæ eſt non ſolum ſententiæ ſed verborum quoque, & quoàd fieri poteſt, compoſitionis explicatio & interpretatio & expreſsio. Nam formæ indicantis tempus, aut numemerum, aut genus, aut διάθεσιν, & aliorum ſimilium (ſi de vno ſermone aliquid in alterum transferens dici, quod intelligatur ſtudeat) prorſus

 neceſ-

necessaria est mutatio, etsi in hac parte moderati fuimus, vel parci quoq;. Sed de mea ista opella satis. Habes enim quod postulasti. Id qualecunq; est, tuum iam erit, & fiet tanti abs te, quanti tu faciendũ esse duxeris. Quod si forte lectio huius libelli, interpretatione nostri, aliquid aliquibus commodi attulerit, bene ita posita fuerit opera ńostra, & tua impulsio vrgendo hanc profecerit. Sunt autem admonitiones, cohortationes, præceptiones, etiam disputationes collectæ hoc scripto salutares, & de sacrarum scripturarum diuersis locis excerptæ, & expositæ separatim. Quas legentes & attendentes & sequentes, & ad pietatem religionemq; colendam incitabuntur, & omnibus in partibus vitæ ad præstandum officium instruentur. Quæ indies iam magis declamitari verbis, quam exprimi factis cernuntur. vt inter ingentem copiam docentium, & de veritate contendentium gladiatorijs etiam animis, disci-
plina

plina laudabilium actionum ad De= um & homines interea, vita vbique diſſoluta, neque priuatim neque pub= lice cum diligentia & ſeueritate excer ceatur. Plurimi videntur vereri, ne ſua ſapientia ignorata ſecum intereat. Alij alijs occaſionibus atque cauſsis mouentur, vt edant aliquid ſcripto= rum ſuorum. Itaque feraciſsimum eſt ſæculum noſtrum librorum nouo= rum. In quibus ſcilicet oſtendunt ſe & conſpiciuntur, vel latent & iacent inter abiectas cartas, noſtræ etiam quædam lucubrationes. Nequaquam enim eximo ego me ex eorum nume= ro, qui quieſcere & ſe continere ne= queunt, quo minus abuſi ocio vltro proponant elaborationes ſuas, & præ= ſcriptam libris autoritatem nominis ſui legi velint, inque ijs adeo, quos ſecundum poetam, tenet immedica= bile multos Scribendi cacoethes, me quoque cenſeri haud grauiter ſim la= turus. Sed quibuſcunque ſane ani= mus eſt, fortunam in hoc genere ex=
 periri,

periri, ijs nimirum curæ esse inprimis debebat, ne aliquam ipsi rebus per se miseris & afflictis plagam impingerent, editione scripti perniciosi vel etiam pestiferi. Qualia sunt, malitiosa, obtrectatoria, seditiosa, impia. Quæ non modo autori bonam existimationem detrahere, sed grauissimorum, & nonnunquam exitialium malorum dare caussas solent. Atque hæc de serijs & quæ aliquid ponderis habere componentes volunt, à me dicuntur. Nam in ludicris (modo non obscœna illa neque scurrilia sint, neq; ita ludentia, quemadmodum in fabula Aesopica pueri configentes per lusum ranunculos) non multum detrimenti fieri potest. Etsi autem voluntatibus alienatis, & distractis iudicijs hominum, & dissidentibus studijs, inq; maxima omnium rerum licentia, explicare ista difficile est, vnoquoque pro sua opinione atque adeo affectione propugnante: fit tamen profecto, vt nocentium & improborum scripto

rum damna tandem ſentiantur etiam ab ijs, qui aliquando vel inſcitia vel maleuolentia, vel quacunq; perturbatione animi, illa approbando fouerunt. Sed deſino. Hæc enim modo diſſerenda non ſunt, Incidit autem ętas noſtra in tempus diſsipationis extremæ, vt vnumquemq; videre rectum ſit, ne quid ipſe ſuſcipiat conſulendo & agendo, in quo conſcientia ipſius parum quieta ac tranquilla ſit. vt, ſi in ſęuitia tempeſtatis vel naufragium, vel iactura quæcunque fiat, culpa in hoc eius nulla depræhendatur, & hac ſe carere ipſe ſciat & audeat affirmare. Inq; iſta innocentia, vt nos conſeruet Deus æternus cum omnibus vera illum religione venerantibus, mi Crato, ſicut facimus, votis ardentibus precemur patrem ἀΐδιον IESV CHRISTI υἱοῦ συναϊδίου, vna cum ſancto Spiritu, vnum verum ſolum, potentia regni, & gloria ſanctiſsimi Nominis, & clementia mitericordiæ immenſæ opti-

ſæ optimum, maximum, ſummum Deum: commendantes committenteſq; benignitati infinitæ ipſius publica priuataq; vniuerſa, οἰκτίρμονος καὶ ἐλεήμονος καὶ εὐσπλάγχνου θεοῦ, in Ieſu Chriſti fide, κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν καὶ φύλακος γένους ἀνθρωπίνου, Cuius laudi ſeruire omne ſtudium omnemq; induſtriam meam cupio pertinentem ad commoda amantium pietatem & religionem. Eſt liber qui ſapientiæ quoque Salomonis titulum habet, cuius autor putatur eſſe Philon, & ipſe dignus exiſtimatus, qui in Eccleſia Chriſti legeretur. Et hunc quoque prodeſſet adoleſcentiæ manibus teri, & nos aliquando apparaueramus ad lectionem quandam expeditiorem. Sed neſcio quid hactenus editioni obſtitit. Quod ſi tibi videbitur in hoc nunc etiam elaborandum, dabitur aliquid à nobis, adiuuante Chriſto, operæ in iſtam quoque diligentiam, vt ſtudio noſtro liber ille, ad communem vſum aptior atque tractabilior prodeat.

Erunt

Erunt autem paulo post proponenda, talia scripta filiolo tuo Iohanni Baptistæ, quæ ab ipso legantur & cognoscantur integra atque tota, ex quibus modo excerpta quædam, quæ ætate puerili ille ediscat & memoriæ, ὥστε ἀποστοματίσαι δυνάσθαι, mandet, ei præscribentur: vt istiusmodi ipsi parari instrumenta pietatis, virtutis, sapientiæ, statuendum sit, tui nominis celebritatis ac gloriæ hæredi, quam relictam ipse sua & propria bona existimatione atque laude cumulet. Vale.

Lipsi. xx. die M. Nouembris.
Anno Christi Iesu,
M. D. LXVII.

SAPIENTIA SIVE LIBER DE VNIVERSA VIRTVTE, IESV FILII SIRACHI.

IEsus iste Sirachi quidam filius fuit, nepos vero Iesu cuius & nomen haberet commune: Iste igitur temporibus fuit posterioribus captiuitate & reuocatione, & post Prophetas fere vniuersos. Auus itaque huius Iesus etiam ipso hoc testante, cum laboriosus fuit in scriptis Hebraicis, tum vir sapientissimus, Qui non modo aliorum superiorum ætatum hominum ingeniosorum dicta collegit, sed ipse quoque sua quadam reliquit, ingenij & sapientiæ præcipuæ laude plena. Cum autem hunc librum Iesus primus ille propemodum collectum destituisset excedendo è viuis, acceptum eum hic Sirachus reliquit filio suo Iesu, Qui hæc accepta in vnum opus continuæ compositionis contulit, imposito titulo sapientiæ cum suo patrisq; & aui nomine. Ipso sapientiæ verbo inuitans auditores ad studium & amorem huius libri. Comprahendit hic sermones prudentiæ ænigmataq; & parabolas & singulares quasdam historias amoris diuini, de viris

viris qui placuissent Deo, Itemq; precationem & hymnum ipsius, praeterea quibus beneficijs Deus populum suum dignatus fuerit, & quibus malis compleuerit hostes ipsius. Sectator hic Iesus Salomonis fuit, nihilo secius atque ille famam praeclaram sapientiae ac disciplinae consecutus, cum variae cognitionis studio vere teneretur, & hoc nomine etiam celebraretur.

PROOE-

PROOEMIVM
SAPIENTIAE IESV filij Sirachi.

Cum multa & magna per legem & Prophetas & alios qui hos secuti fuerunt, nobis tributa sint, quorum caussa laus debetur Israëli, vt iam non ipsos modo legentes scientia instrui æquum esse, sed externis etiam ab horum studiosis vtilitas tam oratione quam scriptis conciliari posse videatur, Meus auus Iesus magis sese dedens lectioni tam legis quam prophetarum & aliorum librorum patrij sermonis, & de his satis magna facultate acquisita, adductus fuit, vt & ipse aliquid conscribere vellet, quod ad disciplinam & sapientiam pertineret, vt studiosi, horum participes redditi, multo iam magis proficiant in vita legitima. Quapropter vos velim motos cohortatione mea, in horum lectionem incumbere cum beneuolentia & attentione: Et veniam mihi dare, sicubi videant in interpretationis elaboratione, quædam me vocabula non potuisse assequi. Non enim eadem vis est horum per se cum Herbaice exponuntur, & cum in aliam linguam traducta sunt. Neque accidit hoc istis solum, sed & lex ipsa & prophetiæ & cæteri libri, non paruam habent differentiam cum suis literis exponuntur. Nam anno trigesimo octauo, regnante Euergeta, cum in Aegyptum venissem, & vna tempus traduxissem reperi non modicæ

modicæ disciplinæ viaticum. Maxime itaq; necessarium duxi, vt adhiberem diligentiæ & studij aliquid ad interpretandum hunc librum, multis etiam vigilijs adhibitis illo temporis interuallo, vt ad finem perductus liber ederetur ad vsum eorum, qui in peregrinatione etiam, studio cognitionis tenerentur, vt viuere possent præparati moribus secundum legem.

CAPVT PRIMVM.

Omnis sapientia à Domino & apud ipsum est in æternitate. 2. Arenam maris, & guttas imbris, & dies æternitatis, quisnam enumerare poterit? 3. Altitudinem cæli & latitudinem terræ ac profunditatem, itemq; sapientiam quisnam inuestigare poterit? 4. Prior omnibus condita est sapientia, & doctrina prudentiæ ab æternitate? 5. Fons sapientiæ sermo Dei in altissimis, & gressus illius, præcepta sempiterna. 6. Radix sapientiæ cuinam detecta fuit? Et quis cognouit calliditatem ipsius? 7. Vnus est sapiens metuendus admodum, qui sedet super solio suo. 8. Dominus ipse creauit eam, & aspexit ac enumerauit eam, & effudit eam super omnia opera sua, ad omnem carnem pro largitione sua, & abunde suppeditauit diligentibus Deum. 9. Timor Domini gloria, & prædicatio, & lætitia, & corona exultationis. 10.

Timor Domini delectabit cor, & largietur læti-tiam ac gaudium cum longæuitate. 11. *Timenti Dominum bene erit vltimis temporibus, & die mortis eius bene illi dicetur.* 12. *Initium sapientiæ timere Dominum. Et hæc vna cum fidelibus in vtero matris creata sunt.* 13. *Vna cum hominibus fundamentum æternitatis nidificauit, & seminis ipsorum fidei committetur.* 14. *Repletio sapientiæ timere Dominum, & inebriat hæc eos de fructibus suis.* 15. *Totam domum ipsorum compleuit desiderijs sui, & cellas germinibus suis, vtraque autem sunt munera Dei ad pacem.* 16. *Corona sapientiæ, timere Dominum, in qua viret pax & sanitas medicationis. Hæc autem dilatat prædicationem diligentibus ipsam. Scientiam & cognitionem tanquam imbrem effudit sapientia, & gloriam eorum, à quibus obtinetur, reddidit sublimem.* 17. *Radix sapientiæ timere Dominum, & rami ipsius longæuitas.* 18. *Timor Domini refutat peccata, & cum adest, auertit iram.* 19. *Haud poterit homo iracundus iusticia potiri. Ac momentum excandescentiæ ipsius fit ruina ipsi.* 20. *Aliquantisper patietur longanimus, & postea existet ipsi lætitia. Aliquantisper occultabit sermones suos, & labia multorum enarrabunt doctrinam eius.* 21. *In Thesauris sapientiæ, sunt parabolæ scientiæ, sed peccatori pietas erga Deum execrabilis est* 22. *Si te cæpit desiderium sapientiæ,*

pientiæ, fac serues præcepta, & Dominus sup-
peditabit eam tibi. Sapientia enim & disciplina,
Timor Domini. Et valde placet ipsi fides ac man-
suetudo. 23. Ne diffidas, timori Domini in
egestate, & ne accedas ad eum cum corde duplice.
24. Ne simulatione vsus sis, ante ora hominum,
neque fretus labijs tuis. 25. Noli teipsum ex-
tollere, ne ruas & accersas animæ tuæ infamiam.
Et deteget Dominus occulta tua omnia, ac in
medio congregationis prosternet te. Quia non ac-
cessisti in veritate ad timorem Domini, & cor tu-
um plenum est fraude.

CAPVT II.

Fili, si ad seruiendum Deo accedis, fac sit pa-
rata anima tua ad tentationem. 2. Diri-
ge cor tuum & perdura, & ne festines tempore
inductionis. 3. Adhæreto ipsi, & ne deficias,
vt incrementum sentias vltimis temporibus. 4.
Quicquid inductum in te fuerit, admittito liben-
ter, & in commutatione deiectionis tuæ longani-
mus sis. 5. Nam aurum probatur de igne, &
homines accepti de fornace deiectionis. 6. Cre-
dito ipsi, & manum tibi porriget, dirige vias
tuas, & spera ab ipso. 7. Qui timetis Do-
minum, confidite ei, & non frustrabitur vos mer-
ces vestra. 8. Qui timetis Dominum, spem de
bonis concipite, & de gaudio æterno, & miseri-

*cordia. 9. Qui timetis Dominũ, expectate mi-
sericordiam eius, neque declinate, ne ruatis. 10.
Aspicite ad ætates priscas, & videte nunquis fre-
tus Domino pudore affectus fuerit? Nunquis
permanserit in timore ipsius, & derelictus fuerit?
Et nunquis inuocauerit eum, quem ille despexerit.
11. Quoniam Dominus misericors & ad veniam
procliuis, longanimus est, & copiosa apud ipsum
venia, & remittit peccata, & tempore afflictio-
nis autor est salutis. 12. Væ cordi ignauo, &
manibus demissis, & peccatori qui ingreditur
semitas duas. 13. Væ cordi demisso & lan-
guenti, quia non credit, ideoq; non protegetur.
14. Væ vobis qui amisistis tolerantiam. Quid
igitur facietis, tempore animaduersionis Domi-
ni? 15. Qui timent Dominum, non subdu-
cent fidem verbis eius. Et qui diligunt eum con-
seruabunt vias eius. 16. Qui timent Domi-
num, quærent ab eo vt ipsi placeant, & qui dili-
gunt eum, complebuntur lege. 17. Qui ti-
ment Dominum præparabunt corda sua, & co-
ram ipso deijcient animas suas: 18. Incida-
mus in manus Domini, & minime in hominum
manus. Nam maiestati ipsius respondet miseri-
cordia eius.*

CAPVT III.

M*ihi patri auscultate liberi, & ita facite vt
salui*

salui sitis. Nam Dominus venerabilem esse voluit liberis patrem, & matris iudicium firmum ad filios. 2. Qui colit patrem expiat peccata, & est quasi thesaurum recondens qui veneratur matrem suam. 3. Qui colit patrem is voluptatem capiet de liberis, & tempore precationis ipsius exaudietur. 4. Qui colit patrem longæuus erit, & qui obtemperat Domino quietem conciliabit matri suæ. 5. Qui timet Dominum colet patrem, & tanquam dominis seruiet ijs, qui ipsum procreauerunt. 6. Factis & dictis cole patrem tuum & matrem tuam, vt contingat tibi benedictio ab hominibus. Benedictio enim patris stabilit domos liberorum. Execratio autem matris eradicat fundamenta. 7. Ne quæras laudem de ignominia patris. Non enim ignominia patris tibi laudi futura est. Nam laus hominis de honore existit patris, & mater infamis probrum est liberis. 8. Fili opitulare in senecta patri, & ne offendas eum in tua vita, & si quando doctrinam reliquerit, ignosce illi, & caue omnibus viribus tuis, ne illum dedecore afficias. 9. Misericordia enim erga patrem tuum non mandabitur obliuioni, & contra peccata hoc opus extruetur tibi. 10. Die afflictionis memor erit tui. vt cum serenitas post glaciem aduenit, ita liquescent peccata. 11. Tanquam blasphemus est qui deserit patrem suum, & execrationem expertus Domini, qui ad iram prouocat matrem suam.

 12. *Fili*

12. *Fili tua negotia placide exequere, & diligeris ab homine amabili.* 13. *Quo maior es, eo magis demittas te, & coram Domino inuenies gratiam.* 14. *Multi sunt sublimes & celebres, sed mansuetis demonstrantur arcana. Nam magna est potestas Domini, & ab humilibus ille celebratur.* 15. *Difficiliora captu tuo ne incogitanter vestiga, & fortiora viribus tuis ne exquire insipienter.* 16. *Quæ mandata tibi sunt, de his pie cogita. Non enim opus tibi est intueri oculis abscondita.* 17. *In dictorum tuorum excellentia curiosus ne sis. Nam plura demonstrata tibi sunt, quam doctrina hominum compræhendit.* 18. *Multos seduxit opinio ipsorum vana, & suspicio praua causa lapsus fuit menti ipsorum.* 19. *Si pupillas non habeas destitueris lumine. Quod si scientiæ expers sis, caue hanc profitearis.* 20. *Cor durum tandem malum sentiet, & qui diligit periculum in illo interibit.* 21. *Cor durum grauabitur laboribus, et peccator addet peccata peccatis.* 22. *Tentatio superbi est sine sanatione. Itinera eius eradicabuntur, nam radices agit in illo stirps prauitatis.* 23. *Cor intelligentis cogitat de parabola, & auris auditoris, cupiditas est sapientis.* 24. *Flammas ignis restinguit aqua, & beneficentia misericordiæ expiat peccata. Et Dominus retribuens gratias meminit in posterum, & tempore casus sui misericors inueniet stabilimentum.*

Caput

CAPVT IIII.

MEa progenies, vitam pauperis ne illi eripias, & ne subuertas oculos indigentes.
2. Animam esurientem ne afficias molestia, & ne subuertas aliquem in egestate ipsius. 3.
Cor commotum ne insuper conturbes, & ne subuertas domum egeni petentis. 4. Supplicem afflictum ne refutes, & ne auertas vultum tuum à mendico. 5. Ab egeno ne auertas oculum, & ne relinquas locum execrationi hominis aduersum te. Cum enim execrabitur te amaro animo suo, exaudiet & preces eius is, qui creauit ipsum. 6. Ita gere te vt à communitate diligaris, & demitte coram potente caput tuum. 7.
Inclina ad mendicum aurem tuam sine molestia, & respondeto illi pacifica cum mansuetudine. 8.
Eripe eum qui iniuria afficitur de manu afficientis, & ne sis paruo animo in iudicando. 9. Sis orbo vt pater, & vice mariti matri ipsius, & eris tanquam filius altissimi, & diliget hic te magis quam mater tua. 10. Sapientia euehit filios suos, & manum porrigit quærentibus se.
11. Qui diligit hanc diligit vitam, & qui mane illi præsto sunt, ij complebuntur lætitia. 12.
Qui hac potitur hæreditatem adibit gloriæ & vbi hæc ingreditur, ibi benedicit Dominus. 13. Qui seruiunt huic, ij ministerium obeunt sancti, & diligentes illam diligit Dominus. 14. Qui

huic auscultat is iudicabit terram, & qui hanc
spectat, confidenter tenebit tabernaculum suum.
15. Postquam confidet hæc tibi, adibis hæredi-
tatem ipsius, & talium genus in possessione erit.
16. Nam distorte primum cum illo incedet. 17.
Timorem & formidinem adducet super eum, &
torquebit ipsum disciplina sua, donec confidat ani-
mæ illius & periculum fecerit eius in iudicijs suis.
18. Ac rursum recta via ad ipsum redibit, &
exhilarabit eum, & deteget ipsi secreta sua. 19.
Si aberrauerit, deseret eum & tradet eum in ma-
nus casus eius. 20. Conserua tempus & caue
malo, & ne pudeat te respectus animæ tuæ. 21.
Est enim pudor afferens peccatum, & habet pu-
dor gloriam & gratiam. 22. Ne quid tribuas
alicui personæ contra animam tuam & ne con-
fundaris ad casum tuum. 23. Ne prohibeas
dictum tempore salutis, & ne occultes sapientiam
tuam, vt bellus esse videaris. Nam de sermone
cognoscitur sapientia & disciplina in verbis lin-
guæ. 24. Ne contradicas sapientiæ vllo modo,
& confundere ob mendacium rusticitatis tuæ. 25.
Ne pudeat te confessionem edere de peccatis tuis,
& ne afferas vim amnis defluxioni. 26. Ne
substernas te homini stulto, & ne quid tribuas
personæ potentis. 27. Ad mortem vsque de-
certato pro veritate, & Dominus pugnabit pro
te. 28. Ne sis audax lingua tua, & iners ac
futilis in negotijs tuis. 29. Ne sis tanquam leo
domi

domi tuæ, & terribili specie offerens te familiæ
tuæ. 30. Ne sit extensa manus tua ad accipi-
endum, & in retribuendo contracta.

CAPVT V.

NE innitaris facultatibus tuis & ne dicas
sufficientes mihi sunt ad vitam meam. 2.
Ne sequere animam tuam, & robur tuum vt
pergas itinere cordis tui. 3. Ne dicas, cuius
potentia inquiret in facta mea? Dominus enim
vlciscens vlciscetur petulantiam tuam. 4.
Ne dicas peccaueram, & nunquid accidit triste?
Nam Dominus est longanimus, & nequaquam
te dimittet. 5. De expiatione ne sis securus in
auaritia & copia, vt cumules peccata peccatis.
6. Et ne dicas misericordia ipsius copiosa expia-
bit peccata mea. Nam misericordia & ira apud
eum festinant, & supra peccatores incubabit in-
dignatio ipsius. 7. Ne differas conuertere te
ad Dominum, & ne protrahas diem ex die. De-
repente enim egredietur ira Domini. Et cum ne-
gliges, extirpaberis, & tempore vltionis interi-
bis. 8. Ne innitere facultatibus iniuste par-
tis, nihil enim proderunt illæ die tentationis. 9.
Ne ventiles ad quemlibet ventum, neue perge
per quoduis iter, talis est peccator bilinguis. 10.
Esto stabilis in doctrina certa, & vnus esto ser-
mo tuus. 11. Velox sis, vt bona audias, &

degatur cum veritate vita tua, & cum tolerantia loquere responsionem rectam. 12. Si est in te doctrina respondeto alteri, sin minus manus tua sit supra os tuum. 13. Gloria & infamia est in locutione, & lingua hominis casus ipsius. 14. Caue voceris susurro, & ne insidieris lingua tua. Nam in fure turpitudo mala est, & condemnatio grauis de bilingui. 15. In paruo & magno, nihil quicquam ignores.

CAPVT VI.

IAm ne pro amico exhibeas te inimicum. Nominis enim mali dedecus & probrum hæreditas est. 2. Ita & peccator bilinguis erit infamis. 3. Ne efferas te in consilio animæ tuæ, ne diripiatur vt taurus anima tua. 4. Arrode folia tua, & perdes fructus tuos, & relinques te ipsum tanquam lignum aridum. 5. Anima praua, perdit Dominum suum, & perficiet vt lætitia hinc præbeatur inimicis. 6. Guttur suaue multiplicat amicos suos, & lingua beneloqua multiplicat affabilitatem. 7. Qui pacem colunt apud te sint multi, consiliarius vero, vnus ex milibus. 8. Si amicum parare vis, in afflictione parato, neque celeriter fidei illius te committas. 9. Est enim amicus aliquis per suam occasionem, nequaquam permansurus tempore afflictionis tuæ. Et est aliquis amicus qui ad inimici-

inimicitias conuertitur, hic certamen probri tui deteget. Et est amicus aliquis particeps mensæ & hic nequaquam mansurus tempore afflictionis tuæ, Rebus secundis autem tuis, erit tanquam tu & de familia tua libertatem vsurpabit sermonis. Vbi abiectus fueris, contra te stabit, & à facie tua occultabitur. 10. *Ab amicis tuis prospice tibi.* 11. *Amicus fidus protectio firma est. Quiq; talem inuenit, inuenit thesaurum.* 12. *Amici fidi nullum precium est. Et nullum pondus exæquans pulcritudinem ipsius.* 13. *Amicus fidus remedium est vitæ, & talem inuenient timentes Dominum.* 14. *Timens Dominum perficiet vt recta sit amicitia ipsius, nam erga eum eiusmodi erunt etiam alij.* 15. *Mea progenies à iuuentute vsque tua elige disciplinam, & vsque ad caniciem inuenies sapientiam, & expecta bonos fructus huius.* 16. *In huius enim opere aliquantulum defatigaberis, & comedes celeriter de germinibus ipsius.* 17. *Quam aspera admodum est rudibus? & non permanet in hac vecors.* 18. *Erit de eo tanquam lapis explorationis acer, neque in illo abijciendo moram nectet.* 19. *Sapientia enim est secundum nomen ipsius, & non multis manifesta.* 20. *Mea progenies audito, & eligito meam sententiam, & ne respuas meum consilium.* 21. *Ac pedes tuos inserito in illius compedes, & collum tuum in collare.* 22. *Supponito humerum tuum & gestato il-*

ſtato illam, & ne offendaris vinculis ipſius. 23. Toto pectore accede ad eam, & omnibus viribus tuis ſerua itinera ipſius. 24. Peruestigato ac quærito & abs te cognoſcetur, & potitus, ne dimittas eam, nam poſtremo reperies requiem ipſius, & vertetur tibi ad læticiam. 25. Et erunt tibi compedes eius ad ornatum gloriæ. 26. Ornamentum enim aureum eſt in ipſa, & vincula eius glomer hiacynthinus. 27. Ornatum gloriæ indues ipſam, & coronam exultationis circumdabis tibi ipſi. 28. Mea progenies ſi volueris, erudieris, & ſi applicueris animam tuam prudens eris. 29. Si dilexeris audire excipies intelligentiam, & ſi inclinaueris aurem tuam, ſapiens eris. 30. Conſiſte in multitudine ſeniorum, & illi agglutinare qui ſapiens fuerit. 31. Audire velis omnem diuinam narrationem & prouerbia intelligentiæ ne effugiant te. 32. Si videris virum intelligentem fac mane ad eum accedas, & limina in foribus eius deterat pes tuus. 33. Cogitatio tua in mandatis Domini verſetur perfecte, & in præceptis eius meditatio tua perpetua. Ipſe ſtabiliet cor tuum, & cupiditas ſapientiæ dabitur tibi.

CAPVT VII.

NE deſignes mala, & non corripient te mala. 2. Diſcede ab iniuſto, & declinabit à te pecca-

peccatum. 3. *Fili ne ferito in fulcis iniuſticiæ,*
& non metes ſeptupla illa. 4. *Ne quæras à*
Domino principatum, neque à rege ſolium gloriæ.
5. *Ne iactes ius tuum coram Domino, neque*
oſtentes ſapientiam apud regem. 6. *Ne quæ-*
ras eſſe iudex, ne non valeas eximere iniuſticias.
7. *Ne reuereri cogaris faciem potentis & ponas*
offenſionem in recto itinere tuo. 8. *Ne delin-*
que in multitudinem ciuitatis, & nullo modo pro-
ſternas teipſum in turba. 9. *Ne alliges ite-*
rum peccatum, nam ne de vno quidem inſons eris.
10. *Ne dicas, reſpiciet multitudinem mune-*
rum meorum, & cum offeram Deo altiſſimo, ſu-
ſcipiet. 11. *Ne paruo animo ſis in precatione*
tua, & præſtare officium miſericordiæ ne negli-
gas. 12. *Ne derideas aliquem conflictantem*
cum aberbitate animæ ſuæ. Eſt enim qui abijcit
& extollit. 13. *Ne exarato mendacium fratri*
tuo, neue idem facias amico. 14. *Ne mentiri*
velis mendacium quoduis. Nam continuatio huius
bonum euentum non habet. 15. *Ne garrulus*
ſis in multitudine ſeniorum, & ne ingemines ex-
plicando verba in tuis precibus. 16. *Ne ode-*
ris opus plenum laboris, & agriculturam condi-
tam ab altiſſimo. 17. *Ne annumera te in mul-*
titudine peccantium. Memento, quod ira non ſo-
leat moram nectere. 18. *Valde deijcias ani-*
mam tuam, nam vindicta impij ignis & ver-
mis. 19. *Ne commutes amicum cum re me-*

dia vl-

dia vllo modo. Neque germanum fratrem cum auro saphir. 20. Ne aberres à muliere sapiente & bona. Nam gratia huius superat aurum. 21. Ne affligas famulum opus facientem in veritate, neque mercenarium impendentem animam suam. 22. Famulum intelligentem diligat anima tua, ne priues eum libertate. 23. Sunt tibi iumenta, vise ad illa, &, si sunt tibi vtilia remaneant tibi. 24. Liberi tibi sunt instituè eos, & flecte à iuuentute vsque ceruicem eorum. 25. Sunt tibi filiæ: prospice corpori ipsarum. & ne exhibeas hilarem illis faciem tuam. 26. Eloca filiam, & perfeceris rem magnam, & viro docto dones ipsam. 27. Est tibi vxor ex sententia animi tui, ne repudies eam. Quæ odiosa autem est, ei ne te addicas. 28. Toto pectore laudem concilies patri tuo, & matris dolorum, quos in pariendo pertulit, ne obliuiscaris. Memento quod per hos procreatus sis, & quid poteris retribuere illis tale, quale ipsi tibi. 29. Tota anima tua reuerearis Dominum, & admirare sacerdotes ipsius. 30. Totis viribus dilige creatorem tuum, & ministros huius ne destituas. 31. Time Dominum, & honora sacerdotem, & dato portionem illi quemadmodum mandatum est tibi: primitias, & ob peccatum, & munus brachiorum, & sacrificium sanctificationis, & primitias sanctorum, & mendico porrige manum tuam, vt perfecta sit benedictio tua. 32. Gratiam habet

munus

munus apud omnes qui viuunt. Etiam super mor-
tuo ne prohibeas gratiam. 33. *Ne à flentibus*
recedas, & lugeto cum lugentibus. 34. *Ne*
pigeat te visere ad ægrotum, de huiusmodi enim
amaberis. 35. *In cunctis sermonibus tuis me-*
mento eorum quæ sunt vltima, & in æternum
non delinques.

CAPVT VIII.

NE contendas cum principe, ne quando inci-
das in manus ipsius. 2. *Ne rixeris cum*
diuite, ne quando statuat aduersus te libram. 3.
Multos enim perdidit aurum, & corda regum
detorsit. 4. *Ne dimices cum verboso, & ne*
aggeras ad ignem ipsius, fasces lignorum. 5. *Ne*
alludas ad ineruditum, ne infamentur maiores
tui. 6. *Ne conuicium facias conuertenti se à pec-*
cato. Memineris quod omnes simus obnoxij pœnis.
7. *Ne ignominia afficias aliquem in sua sene-*
cta, nam & ex nobis senescunt. 8. *Ne gau-*
deas de mortuo etiam inimicissimo. Memineris
quod moriamur vniuersi. 9. *Ne despicias*
narrationem sapientum, verserisq; inter illorum
dicta. Ab his enim disces disciplinam, & vt obi-
re recte possis ministeria apud magnates. 10.
Ne aberres à narratione senum. Nam hi didice-
runt & ipsi de patribus suis. Ab illis enim disces
prudentiam, & vt possis responsum dare tempore
oportuno.

oportuno. 11. Ne incendas carbones peccatoris, ne comburaris in igne flammæ ipsius. 12. Ne mutuum des alteri te robustiori. Quod si dederis, sic habeas, quasi perdideris. Ne spondeas vltra vires tuas, & si spoponderis, cogita tibi esse dependendum. 13. Ne resilias à vultu contumeliosi, ne struat veluti insidias ori tuo. 14. Ne in ius voces iudicem, secundum enim illius existimationem ferent sententiam. 15. Cum audace ne facias iter, ne tibi sit grauis. Nam ille faciet quicquid voluerit, & cum huius amentia tu peribis. 16. Cum iracundo ne ineas certamen, neue comitem hunc tibi adiungas in solis locis. Nam coram illo pro nihilo est sanguis. Et ibi te sternet vbi nulla auxilij copia. 17. Cum stulto ne quid deliberes, non enim poterit continere sermonem. 18. Coram alieno ne quid agas quod celari debeat: non enim scis quid pariturus sit. 19. Cuilibet mortalium ne aperias cor tuum, & ne quis tibi referat falsam gratiam.

CAPVT IX.

NE æmulare mulieri sinus tui, neue doceas hanc malam disciplinam contra te. 2. Ne des mulieri animam tuam, vt calcet illa animum tuum. 3. Ne occurras mulieri quæ se amatoribus prostituit, ne quando incidas in laqueos ipsius. 4. Cum fidicina noli versari assiduo, ne capiaris

*capiaris studijs illius. 5. Virginem ne studeas
notam habere ne quando offensioni impliceris in
illius pœnis. 6. Noli dare scortis animam tu-
am, ne perdas hæreditatem tuam. 7. Ne
circumfer oculos in vicis vrbis, & ne oberra in
huius partibus desertis. 8. Auerte oculum à
muliere formosa, & ne studeas notam habere
pulcritudinem alienam. 9 Nam pulcritudine
muliebri multi decepti fuerunt. Et de hac amor
exardescit tanquam ignis, & ne in ipsius comple-
xu accubes. 10. Cum fœmina nupta ne consi-
dito omnino. & ne symbolam conferas cum illa
in vino: Ne quando detorqueatur ad illam anima
tua, & spiritu tuo delabaris ad interitum. 11.
Ne deseras amicum veterem, nam recens ille æ-
qualis non est. 12. Vinum recens, amicus re-
cens, cum inueterauerit tum comprehendas cum
lætitia vtrumq;. 13. Ne æmuleris existimati-
oni peccatoris. Non enim nosti qui sit finis illius.
14. Ne tua beneuolentia in impiorum beneuo-
lentia acquiescat. Memineris quod opinio iusti-
ciæ ipsorum non sit duratura vsque ad mortem.
15. Procul recedas ab eo, penes quem est pote-
stas occidendi, ita non erit formidini tibi mortis
suspicio. Quod si accesseris, caue delinquas, ne
eripiat statim vitam tuam. 16. Intellige te
per medios laqueos transire, & in propugnaculis
vrbis ambulare. 17. Secundum vires tuas
coniecturam facias de altero. & cum sapientibus*

delibera. Cum prudentibus sermocinare, & omnis narratio tua sit de lege altissimi. 18. *Viri iusti sint conuictores tui, & in timore Domini gloriatio tua.* 19. *De manu artificum laudem inueniet opus, & ductor populi sapiens habetur de oratione sua.* 20. *Formidabilis est in ciuitate sua homo verbosus, & proteruus oratione sua odio habebitur.*

CAPVT X.

IVdex sapiens erudit populum suum, & principatus docti ordinem seruat. Qualis est iudex populi, tales sunt & ministri eius. Et qualis est princeps ciuitatis, tales sunt omnes incolæ ipsius. 2. *Rex ineruditus perdit populum suum, & ciuitas habitabitur de intelligentia potentum.* 3. *In manu Domini est potestas, & suo tempore excitabit ille ad hanc eum qui alicui vsui sit.* 4. *In manu Domini est prosperitas hominis. Et ipse apponet ad faciem litterati gloriam ipsius.* 5. *Ne irascaris alteri ob quoduis delictum, neque quicquam ita agas, vt factum petulantiam complectatur.* 6. *Odiosa coram Deo & homine est superbia, & de vtroque existit peccatum iniusticiæ.* 7. *Regnum de gente ad gentem traducitur propter iniusticias & petulantias, & pecunias fraude quæsitas.* 8. *Quare superbit, terra & cinis?* 9. *Auaro siquidem nihil est iniquius.*

*quius. Nam hic suam etiam animam reddit ene-
ctam. In ipsius enim vita proiecerant intestina
eius.* 10. *Medicus diuturnum malum secat.
Et hodie qui rex est cras morietur.* 11. *In morte
enim hominis hæredes sunt serpentes & bestiæ &
vermes.* 12. *Superbiæ initium est, cum rece-
dit homo à Deo, & vbi cor ipsius desciuerit à suo
creatore.* 13. *Nam initium peccati est super-
bia, & qui hanc amplectitur, is ad abominatio-
nem per petulantiam deferetur, & tandem euer-
tetur. Itaque gloriam adhibet inductionum sua-
rum Dominus, & eos tandem euertit.* 14. *So-
lia principum destruit Dominus, & in hæc impo-
nit loco illorum mansuetos.* 15. *Radices gentium
superbarum euellit Dominus, & conserit in gloria
loco illorum abiectos.* 16. *Regiones gentium
euertit Dominus, & aboleuit illas vsque ad fun-
damenta terræ. Euellit ex illis, & aboleuit eos,
& remouit à terra memoriam ipsorum.* 17. *Non
est hominibus creata superbia, neque iracundiæ
excandescentia soboli muliebri.* 18. *Tutum se-
men est, timentes Dominum. Et plantatio hono-
rata, diligentes ipsum.* 19. *Semen ignominio-
sum est, qui non attendunt legem.* 20. *Semen
errabundum est, transgressores mandatorum.*
21. *Honoratus est Princeps in medio fratrum
suorum, & timentes Dominum in oculis ipsius.*
22. *Ante sortem principatus timor Domini est.
Amissio autem principatus præfractio et superbia.*

23. Diues & illustris & pauper quod gloriari possint, timor Domini est. 24. Non est æquum ignominia afficere pauperem doctum, & non conuenit celebrare peccatorem aliquem. 25. Magnates & iudices & potentes celebrabuntur. Et non est in his maior eo qui timet Dominum. 26. Famulo intelligenti ministrabunt liberi. Et scientia præditus non murmurabit, quando castigatur. 27. Ne ostentes sapientiam. perfice opus tuum, & ne sis gloriosus tempore angustiæ tuæ. Præstat enim opus facere in omnibus, quam obambulare & gloriari, cum deficiatur aliquis pane. 28. Mea progenies per mansuetudinem celebrem reddas animam tuam, & tribue ei honorem secundum dignitatem ipsius. 29. Eum, qui peccat aduersus animam suam, quis poterit iustum pronunciare? Et quis laude celebrabit eum qui ignominia afficit vitam suam? 30. Mendicus celebratur de sua scientia, & diues celebratur de sua opulentia. Qui celebritatem consecutus est in mendicitate, quantam mereretur in opulentia? Et qui ignobilis est in opulentia, quanto magis in mendicitate.

CAPVT XI.

SApientia abiecti extollet alte caput ipsius, & in medio magnatum collocabit eum. 2. Ne laudes aliquem de forma ipsius, & ne abomineris aliquem

*aliquem de vultu eius. 3. Parua inter volu-
cres est apicula, & fructus eius Princeps inter
condimenta dulcia. 4. Amictu vestimento-
rum ne glorieris, & die laudis ne efferaris ani-
mo. Nam mirabilia sunt opera Domini, & ab-
scondita sunt opera eius hominibus. 5. Multi
tyranni in pauimento consederunt. Diadema au-
tem gestauit is, de quo nemo suspicatus fuit.
6. Multi potentes ignominia magna affecti fue-
runt. Et illustres traditi sunt in manus aliorum.
7. Priusquam expendas, ne succenseas. Cogno-
scas prius & deinde obiurges. 8. Priusquam
audieris ne respondeas, & in medio sermone, ne
interpelles verbis. 9. De negotio tibi inutili
ne litiges, & in iudicio peccatorum ne considas.
10. Mea progenies ne versentur tua negotia in
multis. Multitudine enim abundans haud incul-
patus eris & persequendo non depræhendes, &
diffugiendo non elaberis. 11. Est qui defatiga-
tur, & laborat, & festinat, & eo magis à ter-
go relinquitur.. Est ignauus indigens subleuatio-
ne, defectus viribus abundans mendicitate, &
respexit hunc oculus Domini benigne, & erexit
eum de abiectione ipsius, & extulit caput eius
de contritione, & multi admirati fuerunt, qui
contemplati essent. 12. Bona & mala, vita
& mors, mendicitas & opulentia, à Domino
sunt. 13. Sapientia & scientia & cognitio le-
gis à Domino. 14. Caritas & via laudabi-*

lium actionum ab ipso sunt. 15. Error & caligo cum peccatoribus creata sunt. Quiq; exultant in malis, cum his senescunt vitia. 16. Donum Domini permanet pijs. Et bona voluntas ipsius fortunat iter perpetuo. 17. Est qui diuitias parat attendendo & astringendo, & hæc ipsa pars eius est de mercede ipsius. 18. Quando dicit ille, Reperi requiem & nunc comedam de bonis meis continue: Tunc ignorat, quale præteriturum se tempus sit. Etiam illa alijs forte relinquet & mortem oppetet. 19. Consiste in tuo pacto & versare in illo, & vetustatem tibi conciliet opus tuum. 20. Ne sint admirationi tibi opera peccatoris. Crede vero Domino, & persevera in labore tuo. Nam facile est coram Domino, celeriter augere diuitijs pauperem. 21. Benedictio Domini est in mercede pij. Et tempore velociter producit germen benedictionis suæ. 22. Ne dicas, quinam vsus erit obsequij mei: Et quænam ex hoc tempore bona mihi contingent? 23. Ne dicas satis copiosa sunt mihi & multa quæ habeo, cur iam deinceps affligar in vita mea? 24. Tempus fortunatum obliuionem habet malorum, & tempore infortunato abest memoria bonorum. Nam facile est apud Dominum, in die mortis retribuere homini secundum opera ipsius. 25. Afflictio temporis inducit obliuionem deliciarum, & detectio operum hominis efficit consummationem. 26. Ante mortem beatum prædices neminem.

27. Et

27. Et de liberis suis cognoscetur aliquis. 28. Ne introducas in domum tuam quemlibet. Multæ enim sunt insidiæ diaboli. 29. Perdix in cauea venatrix huic simile cor superbi. Et idem est qualis speculator calcans lapsum. 30. Bona enim ad mala conuertens insidias struit, & suis partibus repræhensionem addet. 31. De parua scintilla complentur prunæ, & homo peccator insidias struit sanguini. 32. Caue vitando malitiosum, praua enim fabricatur. Ne quando addat tibi repræhensionem sempiternam. 33. Externum admittas inquilinum, vt scilicet peruertat te turbulente, & remoueat vt alienum de ijs quæ propria tua sunt.

CAPVT XII.

QVando benefacies, cognosce cui facias. & gratia referetur beneficijs tuis. 2. Benefacito religioso ac pio, & reperies retributionem. Si non ab ipso, at ab excelsissimo. 3. Non contingent bona assiduo sectanti mala, & qui miserando non gratificatur. 4. Da pio, & ne subleues peccatorem. 5. Benefacito abiecto, & ne des impio. Impedito panes tuos & ne illi des, ne per hos ipsos potestati te suæ subijciat. Duplicia enim mala inuenies tibi in omnibus quibus illi benefeceris. 6. Quoniam & excelsissimus odit peccatores, & non sinet inultas piorum iniurias.

7. *Sed reseruat ipsos ad diem validum vindictæ eorum.* 8. *Da bono, & ne dextram porrigas peccatori.* 9. *Non excutietur in bonis amicus neque celabitur in malis inimicus.* 10. *In bonis alicuius inimici dolent, & in malis etiam amicus separabitur.* 11. *Ne fidem habeas inimico tuo vnquam. vt enim æs contrabit situm, ita & prauitas ipsius. Atque vbi abiecerit se & demissus incedet, ibi aduerte animum, & caue ab illo tibi. Et eris ei, quasi qui deterseris speculum, & cognosces quod ærugo illa non adhæserit perpetuo.* 12. *Ne statuas eum propter te, ne quando te subuerso consistat tuo loco.* 13. *Ne colloces eum ad dexteram tuam, ne forte quærat occupare sedem tuam & tu ad extremum cognoscas sermones meos, & pungaris verbis meis.* 14. *Quis erit quem misereat incantatoris icti à serpente, & omnium qui aggrediuntur bestias? Itemq; eum qui accedit ad aliquem peccatorem & commiscetur in peccatis eius.* 15. *Horam vnam permanebit tecum in statione iusta: Quod si declines, nequaquam perdurabit: Et labijs suis consulet quomodo te in fossam euersum præcipitet.* 16. *Oculis suis lacrimabit, & occasione reperta non poterit repleri sanguine.* 17. *Mala si oblata tibi fuerint, prius ibi illum inuenies quam te & tanquam qui succurrere velit tunc occulte cedet calcem tuum.* 18. *Caput suum motabit, & applaudet manib. & multa mussitabit & mutabit vultum suum.*

CAPVT XIII.

QVi attrectat picem is inquinabitur ipsa, & socius superbi similis illi perhibebitur. 2.
Onus superans vires tuas, ne tollas in tua vita, & robustioris te atque opulentioris, socius ne sis.
3. Quæ erit societas ollæ cum aheno. allidetur hæc nimirum & conteretur. 4. Deliquit diues, & hunc admittent. Deliquit mendicus, & insuper minis increpabitur. 5. Si commodus
fueris tuum opus sibi vendicat? Sin cessaueris affligendo perdet te. Ac si quid habueris, conuictor erit tuus, & inanem te relinquet, & ipse non laborabit. 6. Indiget ille opera tua, tum
seducet te, & arridebit tibi, & faciet spem, loquetur commoda, & dicet: Qua in re vti te licebit? & contaminabit te suis dapibus, donec inanem te relinquat bis aut ter. & ad extremum subsannabit te & postea videbit te & relinquet, & motabit caput suum erga te. 7. Attende
ne aberres cogitatione, & ne abijciaris in hilaritate cordis tui. 8. Cum potens inuitat te, fac
tergiuerseris & eo magis crebro inuitabit te. 9.
Ne irrue, ne inexplorata re repudieris. Et ne longe absistas, ne in obliuione negligaris. 10. Ne
expetas æquali vti oratione cum ipso, & ne credas pluribus verbis eius. Nam copiosa locutione tentabit te, & quasi arrideat ita extorquebit secreta tua. 11. Immisericors est, qui non custo-

dit sermones. Hic neque parcet affligere te & vincere. 12. Custodi, & attende valde auscultationem, obambulas enim cum casu tuo. 13. Cum hæc audies in sopore tuo expergiscere. Tota vita dilige Dominum, & inuoca eum ad salutem tuam. 14. Omne animal diligit simile sibi, & omnis homo diligit alterum. 15. Omnis caro congregatur suo genere, & vnusquisque agglutinatur sibi simili. 6. Quomodo societas erit inter lupum & angnum? Itemq; inter pium & peccatorem? 17. Quæ pax hyænæ cum cane, & quæ pax diuiti cum paupere. 18. Vt venationes sunt leonum asini siluestres in deserto, sic pascua diuitum sunt pauperes. 19. Superbi abominantur humilitatem, itemq; mendicus abominatio est diuiti. 20. Diues fluctuans stabilitur ab amicis, mendicus autem lapsus insuper repudiatur ab amicis. 21. Collapsi diuitis multi sunt subleuatores. Loquitur arcana, & pronunciant iustum eum esse. 22. Humilis labitur, & insuper obiurgant eum. Loquitur intelligenter, & non conceditur ei locus. 23. Locutus fuit diues, & siluerunt omnes, & orationem eius euexerunt ad nubes vsque. 24. Locutus fuit mendicus, & quis est iste, inquiunt. Quod si offenderit, insuper euertent eum. 25. Bona est opulentia cui non adest peccatum, & improba mendicitas in ore impij. 26. Cor hominis mutat vultum ipsius, siue ad bona feratur seu ad mala. & cor virens bo-

rens bonum reddit vultum in delectatione. 27.
Virens vultus, est vestigium cordis in bonis, &
inuentio parabolarum cogitatio laboriosa.

CAPVT XIIII.

Beatus ille est, qui non labitur ore suo & non
pungitur peccatorum multitudine. 2. *Bea-*
tus ille quem non condemnat anima sua. Et qui
non decidit de spe in Dominum sua. 3. *Non*
est opulentia decora sordido. Et quid prosunt fa-
cultates inuido? 4. *Qui coaceruat subtra-*
hens animæ suæ, alijs coaceruat, & in bonis ip-
sius delicias facient alij. 5. *Qui sibi prauus*
est, cuinam erit bonus? Hic non delectabitur fa-
cultatibus suis. 6. *Non est deterior eo qui si-*
bijpse inuidet, & hæc est retributio prauitatis
eius. Et cum benefacit, inuitus facit, & ad ex-
tremum declarabit malitiam suam. 7. *Inui-*
dus prauus est aspectu oculorum, auertit vultum
& despicit animas. 8. *Cupidi, & auari ocu-*
lus nulla parte satiatur & iniusticia praui desic-
cat animam ipsius. 9. *Fili pro eo ac habue-*
ris benefacito tibi ipsi, & oblationes adducito Do-
mino, vt dignum est. Memento quod mors non
moratur, & pactum orci non est tibi demonstra-
tum. 10. *Priusquam moriaris benefacito ami-*
co, & beneficium extende secundum vires tuas,
& da illi. 11. *Ne deficias à die bono, &*
pars

pars cupiditatis bonæ ne prætereat te. 12. *Nunquid alteri relinques labores tuos, & defatigationes tuas ad hæreditatis diuisiones?* 13. *Da & accipe & sanctifica animam tuam. nam apud orcum non licet victum quærere.* 14. *Omnis caro tanquam vestimentum veterascit. Hæc est enim sempiterna constitutio: Morte morieris.* 15. *Quemadmodum folium virens in densa arbore, quæ aliud abijcit, aliud producit. Ita se habet genus carnis & sanguinis, vnum moritur, alterum procreatur.* 16. *Omne opus putrescens deficit. & qui elaborat illud, vna cum ipso decedet.* 17. *Beatus ille, qui in sapientia meditatur honesta, & qui in doctrina disputat sancta.* 18. *Considerans vias sapientiæ in corde suo, etiam in secretis illius commentabitur.* 19. *Egredere sequens eam tanquam vestigator, & inside in vijs ipsius.* 20. *Qui despicit de fenestris eius, etiam auscultabit ad vestibulum illius.* 21. *Qui diuertitur prope domum eius, etiam figet in parietibus illius clauum. Statuet tabernaculum suum ad manum ipsius, & diuertetur in diuersorio bonorum.* 22. *Collocabit liberos suos sub tegmine eius, & subter ramos ipsius acquiescet, protegetur ab illa in æstu, & diuertetur in gloria eius.*

CAPVT XV.

Qui ti-

QVi timet Dominum, illa exequetur, & po-
titus cognitione legis inueniet illam, &
tanquam mater occurret ei, & sicut coniunx vir-
ginalis suscipiet eum. 2. Cibum præbebit ei pa-
nis intelligentiæ, & potum aquæ sapientiæ. 3.
Stabilietur supra ipsam, & nequaquam inclinabi-
tur, & illi incumbet, neque pudore vnquam affi-
cietur. Et extollet eum supra alios & in medio
concionis aperiet os eius. 4. Læticiam & co-
ronam exultationis reperiet & nomen immortale
erit hæreditarium illi. 5. Neutiquam com-
plectentur hanc homines dementes, neque aspici-
ent peccatores vlli. 6. Procul abest à super-
bia, & mendaces nulli mentionem facient ipsius.
7. Non est speciosa laus de ore peccatoris, quia
non mittitur illi à Domino. 8. Nam sapien-
tiæ est dictum adagij, & Dominus hoc fortunabit.
9. Ne dicas, defeci per Dominum. Non enim
facies quod ille odit. 9. Ne dicas ipse me fin-
xit. Non enim vsui illi est vllus peccator. 11.
Omnem abominationem odit Dominus, & non
amplectuntur hanc qui eum timent. 12. Ipse
initio condidit hominem, & reliquit eum in manu
consilij ipsius. 13. Si voles, custodies manda-
ta, & fidem, vt facias quod illi placet. 14.
Apposuit tibi ignem & aquam, vtrum volueris,
ad illud extende manum tuam. 15. Coram ho-
mine est vita & mors, & vtrumcunq; placuerit,
dabitur ei. Copiosa enim sapientia Domini, &

potentia

potentia robusta est, & cernit omnia. 16. Et oculi eius spectant timentes ipsum, & ipse cognoscit quoduis opus humanum. 17. Non mandauit vlli vt impius esset, & non permisit cuiquam peccare.

CAPVT XVI.

NE expetas inutilem multitudinem liberorum, neue delecteris filijs impijs. 2. Si multi fuerint ne læteris ob ipsos, si non est timor Dei in eis. 3. Ne fretus sis vita ipsorum, neq; nitaris multitudine eorum. præstat enim iustus vnus, alijs mille, & mori sine liberis quam habere liberos impios. 4. Nam de vno docto ciuitas compleri poterit, cum tribus impiorum celeriter desoletur. 5. Multa talia vidit oculus meus, & potentiora his audiuit auris mea.
6. In congregatione peccatorum accendetur ignis, & in contumace gente succensa est ira. 7. Non placatus fuit de priscis omnibus gigantibus, qui desciuerunt in robore amentiæ suæ. 8. Non pepercit ijs, quorum inquilinus erat Lot, quos execratus fuit propter superbiam ipsorum. 9. Non misertus fuit gentis perditæ, eorum qui egrederentur in peccatis suis, quæ perpetrauerant. Atque ita sescenta milia peditum, quæ collecta fuerant, in duricia cordis eorum, flagellans, miserans, percutiens; sanans, dominus cum misericordia & casti-

castigatione conseruauit. quod si fuerit vnus in populo dura ceruice, mirum si impune tulerit.
10. *Apud illum enim est misericordia & iracundia. Celeriter & Princeps ille est placationum, & qui iram effundat. vt est copiosa misericordia ipsius, sic & inquisitio. De vno quoque faciet iudicium secundum opera eius.* 11. *Non effugiet cum rapina peccator, neque deficiet vnquam expectatio pij.* 12. *Omni misericordiæ beneficio locum relinque. vnusquisque enim inueniet id, quod conuenit factis suis.* 13. *Dominus indurauerat Pharaonem, ne intelligeret, vt innotescerent efficacitates ipsius omni creaturæ sub cælo.* 14. *Omni creaturæ manifesta est misericordia eius, & lucis atque tenebrarum eius partitio Adamantina est.* 15. *Ne dicas, abscondar coram Domino, & de excelso ecquis meminerit mei? In populo copioso non erit memoria mei. Quæ est enim anima mea, in immensa creatione?* 16. *Ecce cælum, & cælum cæli, Abyssus & terra, & quæcunq; in his sunt, cum respiciet ipse, tum commouebuntur.* 17. *Totus mundus qui & extitit & existit, est in voluntate eius. simul montes & fundamenta terræ, quando intuetur Dominus concutiuntur tremore.*
18. *Neque ita, vt dignum est, cogitare vllum cor potest, & vias eius quis considerabit? procella est quam nemo hominum perspicit, & plæraq; opera ipsius sunt abscondita.* 19. *Opera*

iusticiæ

iusticiæ eius quis annunciabit, aut quis sustinebit? longe enim abest partum. & exquisitio de omnibus fit in exitu. 20. *Qui submittitur is hæc considerat. Et demens aliquis in errore cogitationes concipit stultas.* 21. *Audi mea progenies & cognosce scientiam, & ad meos sermones aduerte cor tuum.* 22. *Patefaciam pondere disciplinam, & exacte annunciabo scientiam ipsius, & in iudicio Domini sunt opera eius.* 23. *Ab initio & creatione eorum disposuit partes illorum.* 24. *Ornatum sempiternum addidit operibus suis, & in manu eius sunt initia illorum omnibus ætatibus.* 25. *Neque laborant neque defatigantur in factis ipsius, & non deficiunt ab operibus eius.* 26. *Non elidit vnusquisque alterum & sempiterno tempore non frustrantur sermonem eius.* 27. *Post hæc aspexit Dominus ad terram & repleuit illam bonis suis.* 28. *Anima omnium viuentium operuit faciem eius, & in ipsam reuersio horum est.*

CAPVT XVII.

Dominus creauit de terra hominem, & fecit vt rursum reuerteretur in illam. 2. *Dedit eis dies numeratas & tempus, & quæ in terra sunt, ea subiecit potestati ipsorum.* 3. *Induit eos robore, quantum ad ipsos, & creauit illos ad imaginem suam.* 4. *Metum eorum incussit*
omni

omni carni, similiter vt bestijs & volucribus dominarentur. 5. *Ac mentem sextam eis largitus est partiendo.* 6. *Et septimam orationem, interpretatione efficacitatum suarum.* 7. *Consilium & linguam & oculos, aures & cor dedit ad cogitandum eis.* 8. *Repleuit eos scientia doctrinæ, & bona atque mala demonstrauit ipsis.* 9. *Deflexit oculum suum ad corda illorum, vt ostenderet eis maiestatem operum suorum.* 10. *Contulit, vt perpetuo gloriarentur de mirabilibus ipsius, vt enarrarent prudenter opera ipsius.* 11. *Et nomen sanctitatis eius laudabunt electi.* 12. *Addidit eis scientiam, & partem legis vitæ tribuit eis, ad considerandum: Quod cum mortales sint, iam sint superstites.* 13. *Pactum sempiternum statuit cum ipsis, & iudicia sua ostendit eis.* 14. *Maiestatem gloriæ viderunt oculi ipsorum, & gloriam vocis eius audiuit auris illorum. Et dixit eis: Cauete ab omni iniusticia. Et mandata eis dedit vnicuique de altero,* 15. *Non occultabuntur ab oculis eius viæ illorum, coram ipso semper.* 16. *Omnes autem homines propensi sunt à iuuentute ad mala, & non potuerunt corda sua facere carnea pro lapideis.* 17. *In diuisione enim gentium totius terræ, vnicuiq; genti constituit principem, Israëlem autem assumsit vt suam partem.* 18. *Quem primogenitum nutrit disciplina, neque intermittit impertiri illi lumen caritatis.* 19. *Quapropter omnia opera*

ipsorum tanquam sol coram illo sunt, & oculi eius non desinunt intueri vias ipsorum. 20. Non occultantur delicta eorum ante ipsum, & omnia illorum peccata coram Domino sunt. 21. Dominus autem qui benignus est, & nouit opus suum quod finxit, neque reliquit eos, neque deseruit, parcens ipsis. 22. Misericordiæ enim opus alicuius est tanquam signum annuli cum eo. & gratiam hominis conseruat, sicut pupillam, qui partitur filijs & filiabus suis pœnitentiam. 23. Post hæc exurget & retribuet eis, & retributionem eorum in caput ipsorum retribuet. 24. Veruntamen pœnitentibus dat conuersionem, & cohortatur deserentes patientiam. 25. Conuertere igitur ad Dominum, & desere peccata. precare in conspectu, & diminue offensam. Redito ad excelsissimum & auersare iniusticias. Ipse enim erit dux è caligine in viam lucis salutaris, atque admodum odisse debes abominationem. 26. Quis laudem canet excelsissimo apud Orcum? 28. Quam magna est misericordia Domini Dei nostri, & placatio, reuertentibus ad eum sancte? 29. Non enim possunt esse omnia in homine. Quia non est immortalis hominis filius. 30. Quid est illustrius sole? & hoc tamen lumen deficit. Quid homo vero? Cuius cogitatio est carnis & sanguinis. 31. Potentiam cœli ipse Deus contemplatur, & homines omnes sunt terra & cinis.

Caput

CAPVT XVIII.

IS cuius vita æterna eſt creauit omnia commu-
niter. Dominus ſolus iuſtus neq; quiſquã eſt niſi
ipſe. 2. Qui habitari facit mundum compræ-
henſum dodrante manus ſuæ, & omnia obœdiunt
voluntati eius. 3. Ipſe enim in ſuo robore rex
eſt omnium, diſcernens in ipſis ſancta à profanis.
4. Cuinam hoc contulit vt enunciaret opera ip-
ſius? Et quis perueſtigauit maieſtatem eius? 5.
Robur maieſtatis eius quis enumerabit? Et quis
aggredietur enarrare miſerationes ipſius? 6.
Non licet minuere neque augere, & non licet
perueſtigare mirabilia Domini. Vbi homo con-
ſummauerit, ibi orditur, & cum ceſſat, tum in
dubio eſt. 7. Et homo quid? & quis vſus eſt
illius? Quodnam bonum & quodnam malum
eius? Numerati dies hominis ſunt. Sint anni
multi, erunt centum. Omnibus autem ſopor de-
betur, cuius rationes ſubduci nullo anno poſſunt.
8. Vt gutta aquæ de mari, vt calculus arenæ,
ita mille anni in diebus æternis. 9. Propterea
longo animo eſt Dominus erga ipſos, & diffundit
miſericordiam ſuam ſupra eos. 10. Vidit &
cognouit vitam eorum, quod eſſet praua, propter-
ea copioſam eſſe voluit placationem ſuam. 11.
Miſericordia hominis eſt erga alterum, Miſericor-
dia autem Domini erga vniuerſam carnem. Hic eſt
qui arguit & caſtigat & conuertit tanquam pa-

ſtor ouile ſuum. 12. *Eorum qui admittunt diſciplinam miſeretur, & qui properant ad iudicia ipſius.* 13. *Mea progenies, in bonis remoue culpam. Neque aſſit in vlla petitione orationis improbæ moleſtia.* 14. *Nunquid æſtum ſedat ros? ſimiliter melius eſt oratio quam donatio.* 15. *Nunquid, ecce, oratio bonitatem ſuperat muneris, & ambo ſunt penes hominem gratioſum.* 16. *Stultus ingratum in modum exprobrat, & munus inuidi tabefacit oculos.* 17. *Priuſquam loquaris cognoſce & curationi operam da ante ægrotationem.* 18. *Ante iudicium para te ad laudabiles actiones, & tempore animaduerſionis reperies placationem.* 10. *Priuſquam ægrotes abijcias te per continentiam, & tempore peccati declara conuerſionem.* 20. *Ne obſtes quo minus votum tempeſtiue perſoluatur, & non differas ad mortem vſque iuſticiæ conſecutionem.* 21. *Priuſquam votum facias para te. Neque ſis vt homo tentator Domini.* 22. *Memineris excandeſcentiæ futuræ in fine, & vltionis tempus in auerſione vultus.* 23. *Tempore repletionis recordare famem, & dieb. opulentiæ paupertatem atque inopiam.* 24. *Tempus mutatur à veſpertino vſque ad matutinum, & omnia hæc ſunt velocia coram Domino.* 25. *Homo ſapiens vbiq; veretur, & diebus obnoxijs peccatis, cauebit ne delinquat, & demens non cuſtodit occaſionem temporis.* 26. *Omnes docti*

norunt

norunt ſapientiam, & qui illam inuenerit, ei illa largietur confeſſionem. 27. *Quorum oratio docta eſt, ijdem ſapientiam profitentur, & de his tanquam imber bonorum & exquiſitorum dictorum manat ad vitam.* 28. *In hero ſolo præſtans res eſt libertas orationis. Siquidem cor mortuum, mortuo adhæret.* 29. *Caue ſequaris cupiditates tuas, & coherce appetitiones tuas.* 30. *Si animo tuo ſuppedites copiam cupiditatum, quod illi libeat, conciliabis læticiam inimicis tuis, qui tibi inuident.* 31. *Ne exultes gaudio ob magnas delicias tuas, neque requiras ſuadelas illarum.* 32. *Ne incidas in paupertatem contrahendo debita mutuo & fænore, & nihil iam reſtet tibi in marſupio. Eris enim inſidiator vitæ propriæ incurrens in dicta hominum.*

CAPVT XIX.

Operarius ebrioſus non ſolet diteſcere, & qui pro nihilo ducit pauca, paulatim ruit. 2. *Vinum & mulieres ſeducunt intelligentes, et qui adhæret ſcortis, audet omnia.* 3. *Tineæ & vermes hæredes illius erunt, & ipſe areſcet in maiore infamia.* 4. *Qui facile credit, leuis eſt corde. Qui peccat, is delinquit in animam ſuam.* 5. *Qui lætatur improbitate, condemnatur. Fortiter autem reſiſtens voluptatibus palmam conciliat vitæ ſuæ.* 6. *Qui linguæ mode-*

 ratur,

ratur, is cum inuicto versari poterit, & qui odit loquacitatem in eo minus vitij est. 7. Ne enarrando repetas dicta, & nihil tibi detrimento erit. 8. Neque apud amicos neque apud inimicos, de aliorum vita fabulare, & si non deliquisti, ne detegas. Audit enim aliquis te & cauet sibi à te, & per occasionem odit te. 9. Audiuisti narrari aliquid, moriatur hoc tecum. Et sis bono animo, non enim illud te rumpet. 10. Orationis præsentia prouocat conuicia stulti, vt infantis præsentia questus parientis. 11. Telo infixo in coxa hominis similis est oratio in ventre stulti. 12. Coargue amicum, vt constet, si forte non fecit, & si fecit, ne quid addat. 13. Coargue alterum, vt constet, si forte non dixit, & si dixit, ne iterum repetat. 14. Coargue amicum. Sæpe enim existit vana calumnia, & ne fidem cuilibet dicto habeat cor tuum. 15. Labitur interdum aliquis ore non animo. Quis autem non est aliquando lapsus lingua sua? 16. Coargue alterum antequam intermineris, & relinque locum legi altissimi, vt sis placidus. 17. In timore Domini principium est, vt aliquem ille complectatur. Sapientia autem ab ipso caritatem acquirit. 18. Cognitio mandatorum Domini, disciplina vitæ est. Qui autem faciunt ea quæ ei placent, fructus capiunt de arbore immortalitatis. 19. Sapientia cuncta, timor à Domino, & in omni sapientia effectio legis, & cognitio est

omnipo-

omnipotentiæ ipsius. 20. Famulus qui dicit Domino, Non faciam quemadmodum tibi placet, si postea fecerit, ad iram prouocat alentem se. 21. Sapientia non est scientia prauitatis, neque vbi consilium peccatorum, ibi prudentia est. 22. Est prauitas & ipsa res execranda, & demens deficitur sapientia. 23. Præstat timidus qui trepidat cum doctrina, abundante prudentia & transgrediente leges altissimi. 24. Est astutia exquisita quædam, & ipsa iniusta, & est peruersus aliquis in proferendo iudicium, & est iustitiam colens in iudicio, sapiens. 25. Est prauitate præditus aliquis, qui demisso capite pullatus incedit, & quæ interiora in ipso sunt, in iis scatet fraude ignita. Demittit vultum, & nihil audire vult tanquam surdus, idq; si cognitum fuerit, malefaciendo te anteuertet. 26. Quod si deficientibus viribus peccatum forte impediatur, vbi tempus fuerit nactus, tum malum dabit. 27. De aspectu cognosci aliquis potest, & mente præstans facie cognoscitur factus obuiam. 28. Ornatus hominis & risus dentium, & incessus, mores nuntiando indicant. 29. Est castigatio non tempestiua, & qui silet, is quoq; prudens est.

CAPVT XX.

QVanto rectius est coarguere, quam occulte succensere, & qui confitetur is retrahitur

à detrimento. 2. Cupiditas Eunuchi est virginem adolescentulam vitiare, eiq; similis in hac vita iudicia faciens. 3. Inuenitur aliquis sapiens, qui silet, & est aliquis odiosus quod valde loquax sit. 4. Tacet aliquis, quia non habet quod respondeat. 5. Et tacet aliquis, gnarus temporis. 6. Homo sapiens tacet expectans opportunitatem, at procax & demens, opportunitatem transilit. 7. Abundantem sermone execrari solent, & odisse eum, qui ius & potestatem in illo sibi vendicat. 8. Quam præclarum est, castigatum declarare pœnitentiam, sic enim voluntarium peccatum fugiet. 9. Peccatori valde arrident mala, & inuenitur tandem detrimentum. 10. Est quando donum tibi non conducet, & est donum pro quo duplum retribuetur. 11. Est detrimentum cuius caussa, gloria, & est qui ab humilitate extulit caput. 12. Est qui paruo emit multa, & persoluit septuplum. 13. Sapiens loquendo amabilem se reddit, sed stultorum gratiæ effunduntur. 14. Donum dementis non conducet tibi accipienti, similiter & inuidi, quia est violentum. Nam oculi illius, pro vno multi sunt ad capiendum. 15. Dabit pauca & exprobrabit multa, & os suum pandet tanquam præco. 16 Hodie mutuo dabit, & cras repetet. Odiosus est talis ad Deum & homines. 17. Inquit stultus, non est mihi amicus. Non refertur gratia benignitati meæ,

qui

qui comedunt panem meum futilem habent linguam. 18. Quoties & quam multi deridebunt illum? Neque enim quod habet vero sensu comparauit, & in carendo nullum esse discrimen putat. 19. Lapsus de pauimento tolerabilior quam linguæ, adeo ruina malorum celeriter aduenit. 20. Homo ineptus. Fabulæ intempestiuæ ab ore ineruditorum iuges manant, ore stulti prolata parabola improbatur. Nunquam enim tempestiue pronunciatur. 21. Est cuius peccatis obstat egestas, & in sua hic requiete non compungitur. 22. Est qui perdit vitam suam per pudorem, & exitiosa illi erit personæ acceptio. 23. Est qui per verecundiam defert officium amico, & gratuitum inimicum acquirit. 24. Prauitas culpanda mendacium est in homine. Hoc iuge manat ab ore ineruditorum. 25. Præstat fur ei, ex quo iuge mendacium manat. Ambos tamen hæreditas manet exitij. 26. Mos hominis mendacis infamia est, & dedecus hoc in illo perenne. 27. Cuius oratio sapiens est, is seipsum prouehet, & homo prudens placet magnatibus. 28. Qui ipse in suo solo opus facit, is exaggerabit aceruum suum, & qui placet magnatibus, veniam conciliabit delicto suo. 29. Hospitum munera & largitiones occæcant oculos sapientum, & tanquam insertum ori frenum auertunt castigationes. 30. Sapientia abscondita, & occultus thesaurus, quid prodesse potest

vtrumq; ? 31. Præstat is qui celat stulticiam suam, illi qui celat sapientiam suam. 32. Melior est patientia expers recusationis in quærendo Dominum, quam nullius dominationi subiectus agitatator vitæ suæ.

CAPVT XXI.

MEa progenies, si peccasti, ne quid addas insuper, atque de prioribus precare. 2. Vt conspectum serpentem, ita fugito peccatum. nam si accesseris, mordebit te. 3. Habet dentes quales leo, interimentes hominum animas. 4. Omnis iniquitas est similis ancipiti gladio, neque sanari potest huius plaga. 5. Insultatio & contumelia diuitias desolant, similiter domus superborum desolabitur. 6. Precatio pauperis, ex ore ad aures vsque ipsius, & iudicium ipsius celeriter procedit. 7. Qui odit castigationem, is vestigium peccatoris insistit. Et qui timet Dominum conuertet se corde suo. 8. A longinquo cognoscitur linguæ viribus præstans, sed sapiens cognoscit lapsus illius. 9. Qui domum sibi extruit de pecunia aliena, similis est colligenti sibi lapides ad tumulum sepulturæ suæ. 10. Stuppa constipata est cœtus impiorum, & consummatio ipsorum ignis ad interitum. 11. Via peccatorum est complanata lapidibus, sed desinit in fouea mortis. 12. Qui custodit legem Domini, is

ni, is comprehendit & tenet sententiam ipsius. Consummatio autem timoris Domini, assumtio sapientiæ. Non eruditur is qui non est solers. nam solertia plurimum habet acerbitatis. 13. Cognitio sapientis vt eluuio multiplicari solet, & consilium illius est vt purus fons vitæ. 14. Intestina stulti sunt vt vas confractum, nullam cognitionem continet in sua vita. 15. Sapientem orationem vbi audierit intelligens, laudare illam solet, & aliquid illi addere. 16. Audijt & expers aliquis intelligentiæ, huic illa displicuit, & refutauit eam post tergum suum. 17. Enarratio stulti est vt onus in itinere. In labijs autem docti reperitur gratia. Os prudentis requiritur in conuentu populi. 18. Aedibus euersis similis est sapientia stulti. Et de illius sermonibus cogitabunt corde suo. Et cognitio indocti est oratio atq; ratio incogitans & inexplicata. 19. Pedicæ in pedibus dementibus, institutio & disciplina. Et vt manicæ manus dextræ. 20. Stultus ridendo extollit vocem suam, vir autem solers vix placide arridet. 21. Disciplina est ornamentum aureum prudenti, & armilla in brachio dextro. 22. Pes stulti festinat ad domum. homo autem experiens & exercitatus afficietur ibi pudore. 23. Amens per ianuam intro ædes aspicere non veretur, sed bene institutus foris consistit. 24. Signum est hominis male instituti & vacantis disciplina, auscultare ad fores. prudens vero for-

ro formidabit onus infamiæ. 25. Labia multiloquorum & garrulorum, narrant aliena: Sermones autem prudentum statera examinantur. 26. In ore stultorum positum est cor, in corde autem sapientum, os ipsorum. 27. Dum impius execratur Satanam, ipse suam animam execratur. 28. Garrulus & susurro polluit animam suam, & vbicunque accola fuerit, ibi odiosus est futurus.

CAPVT XXII.

SAxo inquinato comparatur piger, & omnes sibilum edunt ad infamiam ipsius. 2. Stercori fimeti comparatur piger. Quicunque sustulerit, ille de manu excutere solet. 3. Pudor paternus in procreatione eius qui odit disciplinam, filia autem nascitur ad detrimentum. 4. Filia prudens erit hæres viri sui. Quæ autem pudore eum afficit, dolorem affert genitori. 5. Tam patrem quam virum pudore afficit quæ audax est, & apud vtrumque infamis erit. 6. Narratio intempestiua est Musica in luctu. Lora autem & disciplina ad sapientiæ occasionem pertinent. 7. Liberi qui victum habent in bona vita, occultant suorum parentum ignobilitatem. 8. Liberi in superbia & neglectu disciplinæ exultantes, suæ cognationis polluunt nobilitatem. 9. Conglutinat testam qui stultum docet, & excitat dormien-

dormientes somno profundo. 10. Narrat dormiturienti qui stulto aliquid narrat, & narratione consummata dicet hic: Quidnam rei est? 11. Mortuum defleas, nam reliquit eum lux. & stultum defleas, nam reliquit eum intelligentia. 12. Suauius defleas mortuum, quod acquieuerit. Nam vita stulti instar mortis est. 13. Septem diebus lugetur mortuus, sed stultus lugubris est omnibus diebus vitæ suæ. 14. Cum imprudente ne multiplices verba, & ad expertem intelligentiæ ne accedas. nihil enim sentiendo refutabit tua omnia. 15. Caue ab illo, ne laborem suscipias, & ne polluaris in quisquilijs ipsius. 16. Declina illum & reperies quietem, & ne securus sis in illius vesania. 17. Quid est plumbo grauius? Et hoc quid nominatur nisi plumbum? 18. Arenam & salem & glebam ferri facilius est gestare, quam hominem indoctum. 19. Implicatio lignea illigata ædificatione, in commotione non dissoluitur, sic cor innitens firmo consilio cogitationis, nullo tempore formidine terretur. 20. Cor fundatum cogitatione doctrinæ, est, quale ornamentum tectorij arenarij in pariete terso Xysti. 21. Pali in sublimi collocati aduersus ventum, nullo modo permanent, similiter cor pauidum in cogitatione stulti, nulla in formidine vnquam restiterit. 22. Qui oculum pungit elicit lacrimas, qui cor pungit declarat sensum. 23. Qui conijcit in volucres saxa, fugat illas, & qui

& qui conuicia facit amico, dissoluit amicitiam. 24. Si gladium eduxeris contra amicum, ne desperes. fieri enim potest reconciliatio. 25. Si aduersus amicum os aperueris, ne verearis, relinquitur enim compositio. excepta contumelia probri, & superbiæ, & detectione arcani, & ictu fraudulento. in his enim resilient amici omnes. 26. Parato tibi fidem ad alterum in paupertate, vt læteris bonis ipsius. 27. Tempore afflictionis perseuera cum eo, vt cohæres sis hæreditatis ipsius. 28. Neque despicienda semper est species & apparatus, neque admirandus diues amens. 29. Ante ignem eminet vapor & fumus fornacis, & pariter ante sanguinem conuicium. 30. Non pudebit me texisse amicum, neque occultabo me illo conspecto. Quod si mali aliquid ab ipso mihi nascatur, quicunque hoc audiuerit, cauebit sibi ab illo. 31. Quis tribuet custodiam ori meo, & labijs meis notam solertis signi? ne repente lapsus inde accidat, neue lingua mea perdat me.

CAPVT XXIII.

DOmine pater, in cuius potestate est vita vniuersa, ne relinquas me in consilio ipsorum, neue destituas me vt in ipsis corruam. 2. Quis flagella adhibebit cogitationi meæ, & disciplinam sapientiæ cordi meo? ne forte in ijs, quæ ab

ignorante me designentur, non parcas tu Domino, neque relinquas contumelias eorum, qui peccatores se esse profitentur. Ne ignorantia mea multiplicetur, & abundent peccata ad contritionem, & cadam coram aduersarijs, & gaudeat de me hostis meus vnde procul abest spes misericordiæ tuæ. 3. *Domine pater & Deus vitæ meæ, ne tribuas mihi elationem oculorum, & animum giganteum remoue perpetuo à seruo tuo.* 4. *Spem inanem & cupiditates auerte à me, & habebis in tua potestate eum qui velit seruire tibi perpetuo.* 5. *Ventris appetitus & concubitus ne compræhendant me, & ne tradas me seruum tuum animo impudenti.* 6. *Audite liberi disciplinam oris veracis, & qui seruarit, is non capietur labijs suis.* 7. *In sua dementia relinquetur peccator, & contumeliosus atque superbus, offendentur in ipsis.* 8. *Ne assuefacias ad Iusiurandum os tuum, neue consuescas nominatione sancti.* 9. *Quemadmodum enim seruus in quem continue animaduertitur, nunquam minuitur vibice, sic qui iurat & nominat perpetuo, minime mundus erit à peccato.* 10. *Qui crebro iurat, is repletur impietate, neque discedet ab huius domo flagellum, vbi exundauerit facinus peccati eius in ipso.* 11. *Quod si negligat, bis peccauit.* 12. *Et si iurauit inaniter, non iustificabitur. nam super domum ipsius inducetur copia detrimenti.* 13. *Est oratio circumscepta vndique morte, ne inuenia-*

inueniatur hæc in hæreditate Iacobea. 14. *A pijs enim & religiosis hæc omnia absistent, neque illi in peccatis volutabuntur.* 15. *Ne assuefacias os tuum petulantia iurandi, in hoc enim peccati est sermo.* 16. *Memoriam colito patris & matris tuæ. In consessu enim magnorum virorum aderis.* 17. *Ne obliuiscaris illorum coram his, neue flaccescas consuetudine tua, vt velles te non natum esse, & execreris diem partus tui.* 18. *Qui assuefit sermonibus conuicij & maledicentiæ, is nunquam recte instituetur omnibus diebus suis.* 19. *Duo genera peccata cumulant, sed tertium adducit iracundiam.* 20. *Animus feruens est vt ardens ignis, non extinguitur priusquam deglutiatur.* 21. *Scortator & impurus corpore carnis suæ, non cessare solet, donec ignem suscitet.* 22. *Scortatori omnis panis suauis est, neutiquam ille cessauerit, donec moriatur.* 23. *Qui flagitiose discedit à suo cubili & ait animo suo, quis me cernit? Circundat me caligo, & parietes me tegunt, neque me videt quisquam. Quid vereor? Meorum peccatorum Altissimus haud recordabitur: Metusq; ipsius, in oculis hominum consistit.* 24. *Hic non intelligit, oculos Domini Altissimi lucidiores esse innumerabilibus modis sole, qui intuentur omnes vias hominum, & considerationem intendunt in partes occultas.* 25. *Vt antequam crearentur omnia, sic postquam consummata sunt,*

conspicit

conspicit omnia. 26. Talis in regionibus vrbis
supplicium persoluet, & vbi minime cogitauit, ibi
capietur. 27. Similiter & mulier deserens vi-
rum suum, & parans hæreditatem ab altero.
28. Primum enim non obædijt legi Altissimi.
Secundo deliquit in virum suum. Tertio scorta-
tione adultera facta est, & ex alieno viro libe-
ros suscepit. 29. Hæc in concione producetur,
& animaduersio pertinebit ad ipsius liberos. 30.
Non prodent filij horum radicem, & rami illius
non ferent fructum. 31. Relinquet ad execra-
tionem memoriam suam, & probrum ipsius non
delebitur. Et cognoscent reliqui, nihil esse melius,
timore Domini, & nihil suauius, quam attende-
re mandata ipsius. 32. Ingens gloria est, se-
qui Deum. vt autem ab eo recipiaris, in hoc est
longitudo dierum.

CAPVT XXIIII.

SApientia laudat animam in qua ipsa est, &
in medio populi sui gloriatur. 2. In cœtu
altissimi aperiet os suum, & gloriabitur coram
potentia ipsius. 3. Ego ex ore altissimi exiui,
& operui terram tanquam nebula. 4. Ego in
locis sublimibus fixi tabernaculum, & solium
meum in columna nubis. 5. Rotunditatem
cœli circumduxi sola, & in profunditate abys-
sorum deambulaui. 6. In fluctu maris, &

omni in terra, omniq; in populo & gente possessionem vsurpaui, & cum omnibus his requietem quæsiui, & in alicuius hæreditate commorabor.
7. Tunc præcepit mihi creator vniuersorum, & qui creauit me, is fecit vt acquiesceret tabernaculum meum, & dixit: In Iacob figito tabernaculum, & hæreditas tua distribuatur Hierosolymis.
8. Ante sæculum ab initio creauit me, & vsque in sæcula minime defecero.
9. Obiui munus meum in tabernaculo sancto coram ipso, & ita in Sione confirmata sum.
10. In ciuitate sanctificata, similiter concessit mihi quietem, & Hierosolymis est mea potestas. Et egi radices in populo glorificato, in parte Domini hæreditatis eius.
11. Tanquam Cedrus exaltata sum in Libano, & tanquam Cupressus in montibus Aermon.
12. Tanquam palma exaltata sum in Gaddi, & tanquam stirpes Rosæ in Hiericho.
13. Tanquam olea venusta in amœno campo, & tanquam platanus ab aqua proccra extiti.
14. Tanquam Cinamomum & tanquam pilæ aromatum, & tanquam Myrrha electa, bonum odorem emisi.
15. Tanquam galbanum & onyx & stacte, & tanquam thuris vapor in tabernaculo.
16. Ego tanquam Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei sunt gloriæ atque gratiæ.
17. Ego fruticando tanquam vitis bonum odorem protuli, & mei flores, fructus gloriæ & opulentiæ.
18. Ego mater sum dilectionis pul-

cræ,

*cræ, itemque timoris & cognitionis, & sanctæ
spei. 19. Do autem vna cum meis liberis æ-
ternam procreationem ijs, quæ ab illo dicuntur.
20. Accedite ad me cupidi mei, & de meis
fructibus saturamini. 21. Nam memoria mei
suauior est melle, & hæreditas mea superat mel
Domini. 22. Qui me comederint adhuc esu-
rient, & qui me biberint adhuc sitient. 23. Qui
mihi obœdit, eum non pudebit vnquam, & mei
operarij non peccabunt. 24. Hæc omnia sunt
liber testamenti Dei altissimi. Lex quam præce-
pit nobis Moses, hæreditatis caussa in cœtibus Ia-
cobeis. 25. Ne exanimemini, vt robusti sitis
in Domino, vt confirmet ipse nos. 26. Ag-
glutinamini ad ipsum. Dominus omnipotens De-
us solus est, neque est præter ipsum saluator a-
lius. 27. Implens tanquam phison cuncta sa-
pientia sua, & tanquam Tigris diebus nouæ ara-
tionis. 28. Complens tanquam Euphrates do-
ctrinam, & tanquam Iordanes diebus messis.
29. Demonstrans disciplinam cognitionis tan-
quam lumen, & tanquam Geon diebus vinde-
miæ. 30. Primus non consummauit cognitio-
nem ipsius, & similiter postremus non peruesti-
gauit eam. 31. A mari enim vsque multipli-
catæ sunt cogitationes eius, & consilium ipsius ab
abysso ingente. 32. Ego illa sapientia, vt fos-
sa deducta ab amne, & tanquam aquæductus
exiui in Paradisum. 33. Dixi, irrigabo hor-*

tum meum præclariſſimum, & faciam vt ebrius ſit ſulcus iuſtus. 34. Atque ecce foſſa illa amnis euaſit, & amnis mare. 35. Nam diſciplinam illuſtrabo, inſtar matutini temporis, & demonſtrabo hanc in longitudinem. 36. Nam doctrinam effundam tanquam prophetiam, & relinquam illam in ætates ſæculorum. 37. Videtis quod non mihi ſoli laborauerim, ſed cunctis exquirentibus illam.

CAPVT XXV.

DE tribus forma mea enituit, & ſurrexi formoſa coram Domino. Coram Domino & hominibus. I. De concordia fratrum. II. Et amicitia proximi. III. Et tertium eſt, Vir ac vxor, qui ſe mutuo tolerant. 2. Tria autem genera odit anima mea, & admodum offendor vita illorum. I. Odi mendicum ſuperbum. II. Diuitem mendacem. III. Et ſenem adulterum qui doctrina deficitur. 3. In iuuentute tua nihil collegiſti, Quid igitur reperias in ſenecta? 4. Quam ſpecioſa res eſt iudicium caneſcentibus, & ſenioribus cognitio conſilij? 5. Quam ſpecioſa eſt ſenum ſapientia, & ijs qui gloria præſtant cogitatio atque conſilium? 6. Corona ſenum eſt multarum rerum experientia, & gloriatio ipſorum: Timor Domini. 7. Nouem concepta animo prædicaui beata corde meo, & decimum prolo-

proloquar lingua mea. I. Homo qui læticiam capit ex liberis suis. II. Viuens & cernens casum inimicorum. III. Beatus qui habitat cum vxore intelligente. IIII. Et qui non lapsus est lingua. V. Et qui non seruijt se indigno. VI. Beatus is qui inuenit prudentiam. VII. Et cuius narratio peruenit ad aures audientum. VIII. Quam magnus est, qui sapientiam inuenit? IX. Sed nemo superat timentem Dominum. X. Dilectio autem Domini superat omnia ad illuminationem.
8. *Hanc adeptus cui comparari poterit?* 9. *Timor Domini initium est dilectionis ipsius.* 10. *Fides autem initium agglutinationis ad eum.* 11. *Omnem plagam & non plagam cordis, & omnem prauitatem & non prauitatem mulieris.* 12. *Omne detrimentum & non detrimentum, & omnem vltionem & non vltionem inimicorum.* 13. *Non est caput superans caput anguis, & non est excandescentia superans excandescentiam inimici.* 14. *Magis placet mihi habitare cum leone & dracone, quam cum muliere improba.* 15. *Improbitas mulieris mutat faciem ipsius, & faciem ipsius obducit tenebris tanquam vrsa.* 16. *Inter proximos discumbet vir illius, & inuitus ingemiscet propter eam.* 17. *Exigua est alia quæuis prauitas, ad prauitatem muliebrem. Sors peccatoris eueniat ipsi.* 18. *Vt ascensio per arenas pedibus decrepiti, sic mulier garrula viro quieto.* 19. *Ne præcipi-*

teris in formam muliebrem, neque expetas mulierem ad delicias. 20. Ira est & impudentia, & turpitudo magna, quando sumtus impendit mulier viro suo. 21. Cor humile est & vultus tristis & plaga cordis, mulier improba. 22. Manus labant & soluuntur genua, si qua mulier non consolatur virum suum in anxietate. 23. A muliere initium peccati, & propterea morimur vniuersi. 24. Ne concedas effluxum aquæ, neu mulieri improbæ licentiam exeundi. 25. Si non accedit tibi ad manum, amputa eam à carne tua, da libellum & dimitte eam.

CAPVT XXVI.

MVlieris probæ beatus est vir, & duplicatur numerus dierum eius. 2. Mulier fortis delectat virum suum, & annos vitæ eius complet pacifice. 3. Mulier proba, bona est portio, & datur tanquam portio eorum, qui timent Dominum. 4. Cor autem tam pauperis quam diuitis bonum erga Dominum, eiusmodi est, vt hoc præditi exultaturi sint omni tempore vultu læto. 5. Tria veretur anima mea, & quarta persona incutit mihi metum. I. Calumniam dico ciuitatis. II. Et concionem populi. III. Et mendacij obtrectationem, omnia morte grauiora. IIII. Onus cordis est & luctus mulier æmulatrix aduersus mulierem, & flagellum linguæ commu-

communiter ad vniuersos. 6. Iugum boum labefactatum, mulier est improba, & qui hanc tenet similis compræhendenti scorpium. 7. Ira magna est mulier ebriosa & vaga, quæ non occultat turpitudinem suam. 8. Scortatio mulieris de elatis oculis, & de palpebris cognoscitur. 9. Firma fac sit custodia filiæ inuerecundæ, ne indulgentiam nacta suo arbitrio vtatur. 10. Sequatur cautio oculum impudentem neque mireris si in te delinquat. 11. Vt sitiens viator os suum aperit fonte reperto, sic & illa aquam bibet vicinam quamlibet. 12. Contra clauum quemcunque sedet, & ad telum aperit pharetram. 13. Gratiosa mulier delectat virum suum & ossa ipsius pinguia reddit scientia huius. 14. Donum Domini est mulier taciturna & beneuola, neque est precium vllum dignum anima erudita. 15. Gratia est cumulata mulier pudica & fidelis, & non est vllum pondus æquale animæ continenti ipsius. 16. Solis instar est orientis in excelsissimis locis Domini, forma mulieris probæ in ornamento domus suæ. 17. Lucerna elucens in candelabro sancto, formosa est facies in ætate constante. 18. Columnæ aureæ supra bases argenteas, sunt pedes formosi firmi pectoris. 19. Mea progenies florem & robur ætatis tuæ conserua sanum, neque impendas alienis vires tuas. 20. Exquisita parte fertili cuiuslibet soli, ita tua semina iacito fretus bono genere tuo. 21. Sic tu-

am sobolem & habentem confidentiam boni generis, magnifice prædicabunt. 22. *Mulier meretrix habetur pro sputo, Nupta autem est vtentibus ipsa turris mortis.* 23. *Mulier impia continget pro parte sua scelerato & legum contemtori, Pia autem dabitur timenti Dominum.* 24. *Mulier inhonesta infamiam terendo aspergit, Filia autem honesta etiam virum reueretur.* 25. *Mulier inuerecunda pro cane habetur, sed in qua pudor est, ea timebit Dominum.* 26. *Mulier honorans virum suum, omnibus sapiens apparebit. Non honorans, impia per superbiam ab omnibus cognoscetur.* 27. *Mulieris probæ beatus vir est, nam numerus annorum huius duplicatur.* 28. *Mulier clamosa & vociferatrix statuitur posse hostes fugare.* 29. *Cuiusq; autem hominis animus consimilis his, animo bellicis confusionibus uictus rationem præscribet.* 30. *De duobus tristicia afficitur anima mea, & de tertio inuadit excandescentia.* I. *Si bellator in penuria deficiat.* II. *Si prudentes probris contaminentur.* III. *Si quis à iusticia ad peccatum redeat. Hunc Dominus in gladium impellet.* 31. *Vix eximitur è delicto mercator, & caupo ægre pronunciatur iustus à peccato.*

CAPVT XXVII.

P*Ropter media multi peccant, & qui abundare quærit, is detorquet oculum suum.* 2. *Inter*

Inter compages lapideas clauus figetur, & inter
venditionem & emtionem conteretur peccatum.
3. Qui non in timore Domini possederit studiose,
illius domus celeriter euertetur. 4. Dum cri-
brum concutitur, remanent sordes, & similiter
præda hominis in cogitatione eius. 5. Vasa fi-
guli comprobat fornax, & tentatio hominis est in
cogitatione ipsius. 6. Agriculturæ operam
demonstrat fructus ligni, & similis est cogitatio
considerationis in corde hominis. 7. Ante co-
gitationem ne laudes quenquam. Hæc enim est
hominum tentatio. 8. Si sequaris iusticiam
appræhendes illam, & indueris hac tanquam ta-
lari veste gloriæ. 9. Volucres ad similes sibi
diuertuntur, & ad eos veritas reuertitur, qui
illam elaborant. 10. Leo insidiatur prædæ, &
similiter peccatum ijs, qui vitijs dediti sunt. 11.
Quod pius memorat, id sapientiam complectitur,
amens autem mutatur vt luna. 12. Inter in-
doctos serua tempus. Inter cogitantes autem con-
tinuus versare. 13. Narratio stulti offensio
est, & risus in lasciuia peccati. 14. Qui fre-
quenter iurat, eius locutio facit vt capilli erigan-
tur, & certamen horum obturat aures. 15.
Certamen superborum est effusio sanguinis, &
iurgia ipsorum auditus prauus. 16. Qui pate-
facit arcana, is amittit fidem, neque reperiet
amicum congruentem animo suo. 17. Bene-
uolentia complectere amicum, & vide vt fides

cum eo firmetur, sin patefeceris arcana ipsius, non amplius eum sequaris. 18. *Quemadmodum aliquis hostem perdit, ita perdit & proximum suum, & perinde atque emissa est volucris è manu, sic dimisisti proximum nec venando capies eum.* 19. *Ne sequaris eum, longe enim abstitit, & effugit tanquam hinuleus è laqueo.* 20. *Nam alligari vulnus potest, & de conuicio reconciliatio relinquitur: Sed qui patefecit arcanum, is fidem perdidit.* 21. *Qui nutat oculo is fabricatur praua. Et hunc noscens discedet ab ipso.* 22. *Coram oculis tuis dulcedinem addet ori suo, & tuos sermones mirabitur. Postea autem peruertet os suum, & tuis sermonibus implicabit offensas.* 23. *Multa odi, & non est similitudo illi. Atque Dominus ipse oderit.* 24. *Qui in sublime iactat lapidem, iactat supra caput suum, & plaga fraudulenta vulnus dirimit.* 25. *Qui fodit fossam incidet in illam, & laqueum proponens, hoc ipso capietur.* 26. *Qui mala facit, huic illa incubabunt, neque sciet vnde aduenient.* 27. *Illusio & contumelia est superborum, & vltio his tanquam leo insidiatur.* 28. *Laqueo capientur, qui delectantur casu piorum, & dolor consumet ipsos ante mortem eorum.* 29. *Indignatio & ira execranda sunt, & peccatoris vis valet in eis.*

CAPVT XXVIII.

QVI

QVI vltioni studet, vltionem inueniet à Domino, & peccata omnino ipsius detinebit. 2. Remitte iniuriam proximo tuo, & tunc peccata tua soluentur. 3. Cur quærit salutem à Domino ille qui erga alterum iracundiam detinet. 4. Et cum non misereat ipsum alterius hominis similis sibi, ipse veniam peccati sui petit? 5. Ipse cum sit caro in discordiæ acerbitate perseuerat, & poterit ne aliquis expiare peccata ipsius? 6. In animo sint tibi extrema, & desine excercere inimicitias, neque pertineat discordia tua ad interitum atque mortem alterius, & permane in mandatis. 7. In animo sint tibi mandata, & noli irasci alteri. Sit in animo & testamentum altissimi, & ignorantiam vites. 8. Abstineto certamine, & deminues peccata. Nam excandescens in ira incendere solet pugnam. 9. Homo peccator perturbat amicos, & inter colentes pacem iniicit mediam calumniam. 10. Quemadmodum materia ignis, ita exardescet. 11. Pro eo atque grauius fuerit prælium, augebitur ignis. Vt vires alicuius, sic excandescentia eius erit. Secundum prœlij soliditatem augescet ignis, secundum vires hominis erit excandescentia eius, & secundum opulentiam aliquis suam, extollit iram. 12. Contentio incitata accendit ignem, & prœlium festinans effundit sanguinem. 13. Si inflaueris in scintillam, accendetur ea, si vero inspueris ipsi, extinguetur.

guetur. Atque exit vtrumq; ex ore tuo. 14. Garrulum ac bilinguem execramini. Multos enim pacem seruantes hi perdiderunt. 15. Lingua duplex, multos exagitat, & dissipat eos in diuersas gentes, & diruit firmas vrbes, & magnatum domos euertit. 16. Lingua duplex fortes mulieres eiecit, & spoliauit laboribus ipsorum. 17. Qui attendit hanc, haud vnquam inueniet quietem, neque contubernalem tranquillitatem habiturus est. 18. Verbera de loris efficiunt vibices, sed linguæ verbera confringunt ossa. 19. Multi cadunt peremti gladio, sed nihil ad eos, quibus casus dedit caussam lingua. 20. Beatus is, qui protectus fuit, ne hanc experiretur, qui non transijt in illius excandescentia. 21. Qui iugum ipsius non traxit, neque vinctus est vinculis eius. 22. Iugum enim huius iugum ferreum est, & vincula eius, vincula sunt ahenea. 23. Mors ipsius mors mala est, & orcus huic præstat. 24. Haud dominabitur hæc pijs, neue hi in flamma eius conflagrabunt. 25. Qui Deum æternum deserunt illi incident in ipsam, & in his ea exardescet, neque vnquam extinguetur. 26. Immittetur in eos tanquam leo, &, sicut pardus, lacerabit eos. 27. Vide vt sepias spinis possessionem tuam, & fac vt os tuum habeat ianuæ opera atque pessulos. 28. Argentum tuum & aurum tuum habeas deuinctum, & fac ut trutina sit sermonis tui, & oris tui fores atque

pessuli: Ac attende, ne quando in his labaris, ne concidas in conspectu insidiantis.

CAPVT XXIX.

Misericordiam excercens fœneratur alteri, & supra aliquem confirmans manum suam, seruat mandata. 2. Mutuum dato alteri tempore egestatis eius. Reddito etiam alteri mutuum tempore suo. 3 Efficito solidum sermonem tuum, & fidem cum ipso inuenias, & inuenies omni tempore, quo tibi opus est. 4. Multi statuerunt inuenisse se aliquid fœnerando, & laborem exhibuerunt ijs, qui ipsis succurrerunt. 5. Donec accipiat, osculatur manum eius, & ob alterius pecunias emittet humilem vocem. 6. Et die restitutionis protrahet tempus, & rationem reddet socordiæ, & occasionem temporis caussabitur. 7. Si vero is qui dedit, vicerit, ægre dimidium auferet, & hoc lucrum putabit. Sin aliter, fraudauit hic illum pecunia ipsius, & acquisiuerunt eum gratuitum inimicum. 8. Execrationes & conuicia reddet ei, reddet ei pro laude infamiam. 9. Multi igitur propter prauitatem aliquem auersantur, atque cauent ne fraudentur. 10. Verum de humilis abiectione tamen, animo sis patiente, & ne eum in affectione misericordiæ extrahas. 11. Mandati gratia subleuato pauperem, & in ipsius egestate ne auer-

seris

ſeris eum. 12. *Perdito argentum propter amicum & fratrem, neque illud occultato ſubter lapidem, ad exitium.* 13. *Theſaurum tuum collocato ſecundum mandata altiſſimi, & expediet hoc magis tibi quam ipſum aurum.* 14. *Concludito affectionem miſericordiæ in cellis penuarijs tuis, & ipſa eripiet te ex omni afflictione.* 15. *Magis quam firmum ſcutum, & magis quam robuſta haſta propugnabit pro te aduerſus hoſtem.* 16. *Vir bonus pro altero ſpondebit, & re perdita in probro eum relinquet.* 17. *Gratiarum ſponſoris ne obliuiſcaris. Suum enim animum ille pro te dedit.* 18. *Sponſionem bonam euertit peccator.* 19. *Sponſorem inueniens fugit peccator, & is qui nullius vſus eſt, deſerit animo ſuo eum qui ipſum liberauit.* 20. *Sponſio multos in itinere recto perdidit, & eos exagitauit tanquam fluctus maris.* 21. *Eiecit ſuis domibus homines potentes, & errauerunt hi in alienis gentibus.* 22. *Peccator tranſgrediens mandata Dei æterni, incidet in ſponſionem, & perſequens operarum conductiones incidet in iudicia.* 23. *Subleuato alterum pro virili tua, & attende tibi ipſi ne cadas.* 24. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & amictus, & domus tegens deformitatem.* 25. *Potior eſt victus pauperis ſubter tegmen tignorum, quam epulæ ſplendidæ apud alienos.* 26. *Tam de multis quam paucis bona ſit exiſtimatio tua, & ne audias exprobrationem*

domus

domus tuæ. 27. *Mala eſt vita, migratio de*
domo in domum, & vbi peregrinus eris, ibi non
aperies os tuum. 28. *Hoſpites accipies & po-*
tum præbebis, neque gratia tibi habebitur, &
præterea acerba dicta audies. 29. *Accedito*
peregrine, inſtruito menſam, & ſi quid præ ma-
nu habes, paſcito me. 30. *Exito peregrine,*
à facie gloriæ. Opus mihi eſt ædibus, aduenit
hoſpes frater meus. 31. *Grauia ſunt iſta pru-*
dentia prædito, obiurgatio, inquam, de domicilio,
& exprobratio fœneratoris.

CAPVT XXX.

QVi amat filium ſuum flagella inferet peren-
nia, vt gaudeat extremis rebus eius. 2.
Caſtigans filium ſuum, gaudium ex ipſo capiet,
& in medio nobilium de ipſo gloriari poterit. 3.
Qui docet filium ſuum, æmulationem irritat ini-
mici, & coram amicis exultare de eo poteſt. 4.
Mortem obijt pater ipſius, & eſt quaſi non obie-
rit. Reliquit enim poſteritatem ſimilem. 5. *In*
ſua vita aſpiciens eum, gaudio fuit affectus, &
mortis tempore non eſt ipſi oblata moleſtia. 6.
Reliquit eum, à quo defenderetur aduerſus ini-
micos, & gratia referretur amicis. 7. *De-*
ſtringens filium alligat vulnera ipſius, & ad om-
nes clamores perturbabuntur viſcera huius. 8.
Equus indomitus, euadit ſæuus, & filius vagus,
fit pro-

fit proteruus. 9. Blande nutricare liberos, & incutient tibi terrorem, ludito cum eis, & afficient te dolore. 10. Caue arrideas illis, ne excrucieris, & ad extremum compingas dentes. 11. Ne concedas ei licentiam in iuuentute, neu conniueas ad inscitiam eius. 12. Flecte ceruicem ipsius in iuuentute, & latera eius frange dum puer est. 13. Ne forte duratus contumax fiat aduersus te. Qui cruciatus erit animi tui. 14. Castiga filium tuum, & excerce eum opere faciundo, ne offendas in illius deformitate. 15. Præstat pauper qui sanus est, & cum bono habitu valet, diuiti, cuius corpus verberando afflictum est. 16. Sanitas & bonus habitus melior res est quouis auro, & corpus bene firmum, quam opes immensæ. 17. Non est opulentia melior sanitate corporis, & non est lælicia maior gaudio cordis. 18. Potior est mors quam vita acerba, aut morbus permanens. 19. Bona claussa in ore clausso, fercula sunt ciborum apposita sepulcro. 20. Quid fructuum oblatio simulacro prodest? neque edet enim illud, neque etiam odorabitur. Sic se res habet de eo, quem persequitur Dominus. 21. Qui oculis aspicit, & ingemiscit, est Eunucho similis, amplectenti virginem & ingemiscenti. 22. Ne tradas animum tuum tristiciæ, neque angas te ipsum consilio tuo. 23. Gaudium cordis, ipsa vita hominis est: & exultatio alicuius, dierum productio. 24. Ama

animum tuum, & ne aduoces cor tuum, & tristiciam longe abs te destitue. Multos enim perdidit & occidit tristicia. 25. Ardor animi & excandescentia deminuunt dies, & adducit senectutem ante tempus, anxietas. 26. Cor splendidum & bonum, de escis ciborum suorum curam suscipit.

CAPVT XXXI.

Vigiliæ diuitiarum absumunt carnes, & solicitudo harum facit vt somnus absistat. 2. Solicitudo vigiliarum, requirit soporem, & grauem morbum eluit somnus. 3. Defatigatur diues congerendis pecuniis, & acquiescendo impletur deliciis suis. 4. Defatigatur pauper in penuria victus, & acquiescendo efficitur egenus. 5. Amans aurum non pronuntiabitur iustus, Et persequens exitium, complebitur eo. 6. Multis vincula iniecta sunt auri gratia, & interitus ipsorum accidit in eorum conspectu. 7. Lignum ad quod offendant est aurum, iis qui illi sacra faciunt. 8. Beatus diues, qui inuentus est expers culpæ, & non sectatus est aurum. 9. Quisnam est iste? & prædicabimus eum beatum. Mirabilia enim sunt facta eius in populo ipsius. 10. Quisnam probatus inquisitione auri, & perfectionem adeptus, Et gloriosum hoc illi futurum est? 11. Quis est qui cum transgredi posset,

hoc non fecit? 12. Propterea solida erunt bona eius, & opera misericordiæ ipsius enarrabit publicus cœtus. 13. Vbi ad mensam magnam assederis, ne supra eam pandas fauces tuas, neu dicas: Multa certe sunt apposita. Memento, quod mala res sit oculus improbus. 14. Quid improbius oculo procreatum est? 15. Et ideo in quocunque hic ore lacrimatur. 16. Ne illuc quo forte aspexerit, extendas manum tuam, neu colliditor cum eo in patina. 17. Noscito alterius ingenium de te ipso, & ad omnem orationem, cogitationem adhibe. 18. Tanquam homo comede apposita tibi, & ne mandendo deuores, ne fias odiosus. 19. Primus, disciplinæ gratia, desinas, neque expleri nolis, ne forte offendas. Quod si inter complures assedisti, ne extendas prior manum. 20. Nam viro docto, quod modicum est, id satis est. Et hic non anhelat in lecto suo. 21. Somnus sanitatis in intestino moderato surgit mane, & animus eius vna cum ipso. 22. Labor vigiliarum & cholera & tormina comitantur hominem inexpletum. 23. Quod si victus es vi ciborum, surge, & è medio abiens vomito, & poteris acquiescere. 24. Audito me fili, & ne ducas me pro nihilo, & ad extremum inuenies sermones meos. 25. Omnibus in rebus tuis sis strenuus, & ne qua ægritudo tibi occurrat. 26. Labra erunt quæ benedicendo prædicent splendidum in panibus. Estq; testimonium

nium

nium de specie pulcritudinis ipsius fidele. 27.
Ob panem malum murmurat ciuitas, & est de-
prauitate illius exquisitum testimonium. 28. Ne
velis vir esse in vino:
Multos quia vina necarunt.
29. Fornax explorat id quo acies duratur tinctu-
ra. Huiusmodi vinum est in corde superborum in
ebrietate. 30. Vinum apud homines vitæ in-
star est, si ipsum bibas mensura sua. 31. Quæ
esset vita in vini penuria? Quod ipsum ad lætici-
am comparatum est hominibus. 32. Exulta-
tio est cordis & læticia animi vinum, si quis tem-
pestiuo illius potu contentus est. 33. Acerbi-
tas animi vinum est, in potu copioso, & irrita-
tione rixæ, & ruina aduersandi. 34. Ebrie-
tas auget excandescentiam imprudentis ad offen-
sionem, deminuendo robur, & applicando vul-
nera. 35. In conuiuio & potu, ne redarguas
alterum, neque nihili facias eum in læticia sua.
36. Ne facias verba contumeliosa in ipsum, neq;
premas eum occurrendo.

CAPVT XXXII.

DVctorem te constituerunt, ne efferaris ani-
mo, fias eis, tanquam vnus ex ipsis. 2.
Suscipias curam eorum & ita assidito, & id fa-
cito, quocunq; tibi opus est, & consecutus existi-
mationem bonam acquiescito, vt per illos læticia

afficiaris, & præclaræ temperantiæ gratia coronam adipiscaris. 3. Seniorem alloquere, id enim te decet, sed cum exquisita scientia, & impedies cantica. 4. Quando aliquid recitatur, ne effundas loquacitatem, neque ostentes sapientiam intempestiue. 5. Signum carbunculi in aureo ornatu est concinnitas canticorum in conuiuio & potu. 6. In aureo opere signum smaragdi, sunt modi canticorum ad vinum suaue. 7. Loquere adolescens, si tibi opus est, vix bis, quando fueris interrogatus. 8. Consummato orationem tuam, explicans paucis multa. Esto tanquam doctus & simul tacens. 9. Inter magnates illis ne te exæqua, & vbi sunt senes, ibi ne sit garrula loquacitas tua. 10. Ante tonitru accelerat fulgur, & ante verecundum præcedit gratia. 11. Tempestiue expergiscere, & ne apud postremos cures. Abi curriculo domum, neque concteris. 12. Ibi lude, & obsequere animo tuo, atque haud in peccatis & superba oratione. Et de istis celebrato benedicendo eum, qui te creauit, & facit, vt ebrius sis bonis ipsius. 13. Deum æternum timens admittet disciplinam eius, & qui mane excitantur inuenient beneuolentiæ fauorem. 14. Quærens legem illa implebitur, & simulator incurret offendendo in ipsa. 15. Timentes Dominum inuenient iudicium, & iura tanquam lumen accendent. 16. Homo peccator declinat reprehensionem, & secundum

cundum voluntatem ſuam inuenit concinnitatem.
17. *Vir conſultus nunquam negligit cogitatio-*
nem. Alienus autem atque ſuperbus, non ex-
paueſcit metu, etiam poſt ſui ipſius facinus ex-
pers conſilij. 18. *Abſq; conſilio nihil facias, &*
ne pœniteat te facti. 19. *In via aduerſæ ruinæ*
ne ambules, & ne offendas in ſalebris. 20. *Ne*
confidas viæ experti offenſionum, & caueas etiam
à liberis tuis. 21. *In omni re bona confide*
animo tuo. Etenim iſta eſt mandatorum obſerua-
tio. 22. *Qui confidit Domino is attendit man-*
datum, & qui illo fretus eſt non deminuetur.

CAPVT XXXIII.

TImenti Dominum non occurret malum, ſed
in tentatione, iterum quoque ille eum eripi-
et. 2. *Vir ſapiens nequaquam odit legem. In*
hac autem ſimulatione vtens, eſt tanquam in
multorum ventorum procella. 3. *Vir docilis*
credet committendo ſe legi, & ei lex fidelis erit,
tanquam perſpicua interrogatio. 4. *Præpa-*
rato orationem & ita audiaris. Deuincito diſci-
plinam & tunc reſponde. 5. *Rota plauſtri*
ſunt ſtulti viſcera, & cogitatio ipſius inſtar axis
qui conuertitur. 6. *Equo emiſſario ſimilis eſt*
amicus ſannio. Sub quocunque ſupra ipſum ſeden-
te hinniet. 7. *Quamobrem dies ſuperat diem,*
& omnis lux diei in anno procedit à ſole? 8.

Dei æterni noticia distincta hæc sunt, isq; commutauit tempora ac ferias. Et ex his certos dies fecit esse sublimes atque sanctos. Et de ijs aliquos in anni numerum reposuit. 9. Suntq; homines vniuersi ex pauimento. Et de terra creatus est Adam. 10. Magnitudine scientiæ distinxit illos Deus æternus, & mutauit vias ipsorum. 11. Ex eis aliquos benedicendo amplexus sublimes, & aliquos sanctos, & sibi appropinquare fecit. 12. Ex ipsis aliquos detestatus est, & abiecit humi, & euertit eos de statu ipsorum. 13. Vt in manu figuli lutum, cuius omnes viæ sequuntur id, quod ei commodum visum est: Sic homo in manu est illius, qui ipsum fecit, vt tribuat eis omnia iudicio suo. 14. Ex aduerso mali, bonum est, & ex aduerso mortis, vita. 15. Sic ex aduerso peccatoris religiose pius, & ex aduerso religiose pij, peccator. 16. Atque ita intuere in omnia opera altissimi, duo, duo. Vnum ex aduerso vnius. 17. Atque sunt meæ vigiliæ postremæ, quasi stipulam legens post vindemiatores, ita processi. Et torcular impleui sicut vindemiator. 18. Animaduertite quod non mihi soli elaborauerim, sed omnibus disciplinam quærentibus. 19. Audite magnates, & duces congregationis populi accipite auribus. 20. Filio & vxori, fratri & amico, ne concedas potestatem in te, per tuam vitam. Neque tradas alteri facultates tuas, ne vbi te pœnituerit, de illis roges precando. 21.

Donec

Donec viuis & eſt adhuc in te ſpiritus, ne per-
mutes te cum vlla carne. 22. Satius enim eſt
liberos abs te petere indigentes, quam te intueri in
manus filiorum tuorum. 23. In omnibus re-
bus tuis eſto is qui præcellat, neque relinquas lo-
cum culpæ in præclara exiſtimatione tua. 24. Eo
die, quo finientur dies vitæ tuæ, & tempore mor-
tis, diſtribue hæreditatem. 25. Pabula &
virga & onera aſino: panis, & diſciplina & ope-
ra, ſeruo. 26. Excerce eum in diſciplina, &
quæret requiem. Sine vagas eſſe manus eius, &
quæret libertatem. 27. Iugum & lorum cur-
uant ceruicem, & ſeruo malefico conueniunt tor-
menta & cruciatus quæſtionum. 28. Conijcito
hunc in operas, ne ſit ocioſus. Plurima enim vi-
tia docet ocium. 29. Ad opera conſtitue eum,
quemadmodum decet, & ſi non obœdit imperio,
fac compedes habeat grauiores. 30. Et ne ſis
vlli carni ſuperfluus. Et abſque iudicio nihil quic-
quam agas. 31. Si eſt tibi ſeruus, eſto tibi in-
ſtar animæ tuæ, quia ſanguine paraſti ipſum. 32.
Si eſt tibi ſeruus, ducito eum loco fratris. Indi-
gere enim eo poteris inſtar animæ tuæ. 33. Si
affiixeris eum iniuſte, & ille abſcedendo aufuge-
rit, quam viam ingrediendo ipſum quæres?

CAPVT XXXIIII.

VAna & falſa eſt ſpes hominis indocti. Et
ſomnia pennas addunt imprudentibus. 2.

Vt captans vmbram, & persequens ventos, sic est attendens somnia. 3. Istud ad istud, ea est visio somniorum, ex aduerso oris similitudo oris. 4. Quid ab impuro poterit purum effici? Et à mendacio quæ veritas existet? 5. Vaticinatio & auspicia & somnia vana sunt. Et cordi tuo visa offeruntur instar parturientis. 6. Nisi ab Altissimo demissa fuerint, ne attribuas ad illa cor tuum. 7. Multos enim deceperunt somnia, & prolapsi sunt, qui spem in illis collocarunt. 8. Lex perficitur absque mendacio. Et sapientia oris fidelis perfectio est. 9. Qui errauit is cognouit multa. Et multarum rerum peritus doctrinam enarrare potest. 10. Qui tentatus non est, is pauca nouit, qui vero errauit, is calliditatem complet. 11. Multa vidi in diuersis erroribus meis, & commenta sermonum meorum sunt doctrina mea. 12. Sæpenumero ad mortem vsq; periclitatus, & horum gratia conseruatus sum. 13. Spiritus timentium Dominum viuet. Horum enim spes collocatur in conseruantem se. 14. Timens Dominum nihil pertimescit, & nequaquam pauidus est, Dominus enim spes ipsius. 15. Timentis Dominum beata est anima. Quem attendit hic, & quænam eius est stabilitas? 16. Oculi Dei æterni intenti sunt amantibus ipsum. Propugnatio hæc potentiæ, & stabilitas roboris est. 17. Tectum hoc æstus, & tectum meridici, custodia hæc offensionis, & auxilium casus.

18. *Ex-*

18. *Extollens in sublime animam est, & illustrans oculos, conferens sanitatem vitamq; & benedictionem.* 19. *Qui sacrificat rebus iniuste partis, eius est oblatio ridicula, neque pertinent ad beneuolentiæ fauorem munera iniquorum.* 20. *Non sunt grata neque placent Domino oblationes impiorum, neque multitudine sacrificiorum ille placatur de peccato.* 21. *Mactans filium in conspectu patris, is est, qui adducit sacrificium ex facultatibus pauperum.* 22. *Panis indigentium vita pauperum est, qui hoc fraudat eos, is vir est sanguinum.* 23. *Interfector est alterius, qui vsum victus aufert, & effundit sanguinem, qui mercenarium defraudat mercede.* 24. *Vnus ædificat, & vnus destruit. Quid proficiunt hi vltra laborem?* 25. *Vnus precatur, & vnus execratur, vtrius vocem exaudiet Dominus?* 26. *Qui cadauere tacto abluitur, & hoc iterum tangit, in eius lauacro quid est vtilitatis?* 27. *Sic qui homo ieiunat ob peccata sua, & rursum abiens pariter peccat, eius precationem quis exaudiet, & quid profecit humiliter abijciendo se?*

CAPVT XXXV.

Conseruans legem multiplicat oblationem. 2. *Sacrificat de salutari, qui mandata attendit. Et referens gratiam similis est offerenti simi-*

 laginem,

laginem, & faciens opera misericordiæ sacrificium sacrificat laudis. 3. Grata & beneplacens Domino res est, recedere ab improbitate, & placatio, recedere ab iniusticia. 4. Ne conspiciaris ante Dominum vacuus. omnia enim ista gratia mandati. 5. Oblatio iusti efficit altare pingue, & bonus odor huius est coram Altissimo. 6. Sacrificium hominis iusti acceptum est, & memoria eius non obruitur obliuione. 7. Celebrato Dominum cum oculo bono, & ne minuas primitias manuum tuarum. 8. In omnibus muneribus exhibe vultum tuum hilarem, & cum læticia sanctifica decimam. 9. Dato Altissimo donum ad ipsum pertinens, & oculo bono inuentionem manuum tuarum. Est enim is Dominus qui retribuat, & retribuet septena. 10. Ne deprauato dona, non enim hæc admittet, & ne intentus sis sacrificio iniusto, quia Dominus iudex est, & non est apud eum personæ existimatio. 11. Non accipiet Dominus personam de paupere, & precationem iniuria affecti exaudiet. 12. Nequaquam despexerit ille supplicationem orbi ac viduæ, quando effuderint locutionem. 13. Nunquid ad maxillam descendit viduæ lacrima? Et inclamatio eius aduersus eum qui illam elicuit. 14. Qui colit bono animo, acceptus erit, & precatio eius cum nubibus coniungetur. 15. Adoratio humilis transit nubes, neque admittit consolationem

donec

*donec appropinquet, neque destiterit donec respi-
ciat Altissimus. 16. Iudicabit caussam iusto-
rum & faciet iudicium, & Dominus neutiquam
conctabitur, neque longanimus erit de ipsis ille
fortis. 17 Donec conterat lumbos alienorum à
misericordia. Et gentibus retribuet vltionem. 18.
Donec tollat è medio multitudinem contumelio-
sorum, & confringat iniustorum sceptra. 19.
Donec retribuat homini digna actionibus ipsius,
& hominum operibus secundum cogitationes suas.
20. Donec iudicet iudicium populi sui, & læti-
ciam eis conciliet in sua misericordia. 21. Quam
opportuna res est misericordia tempore afflictio-
nis? Non aliter quam nubes pluuiæ tempore ex-
perte humoris.*

CAPVT XXXVI.

*MIserere nostri Domine Deus omnium, & re-
spice, & terrorem tuum inijcito in eas
gentes, quæ non requirunt te. 2. Extolle ma-
num tuam supra gentes alienas, cernant hæ po-
tentiam tuam. 3. Quemadmodum coram ipsis
sanctificatus es in nobis, ita coram nobis magni-
ficus fias in ipsis, & illæ te agnoscant, sicut nos
cognouimus. 4. Quoniam non est Deus præ-
terquam tu, Domine. Renouato signa, & per-
mutato mirabilia. 5. Facito gloriosa sit ma-
nus & brachium dextrum, vt enarrent mirabi-
lia tua.*

lia tua. 6. Incitato excandeſcentiam & effundito iram. Suſtollito controuerſantem & elidito hoſtem. 7. Accelera tempeſtiue, & memento iræ, & enarranto tibi mirabilia tua. 8. Qui conſeruatur, is in ira ignis deuoretur, & qui malo afficiunt populum tuum eis eueniat exitium. 9. Conterito capita Principum apud gentes, à quibus dicitur: Nemo eſt niſi nos. 10. Congrega omnes tribus Iacob, & diſtribue eis hæreditatem ſicut initio. 11. Miſerere populi, Domine, vocati nomine tuo, & Iſraëli, quem primogenitum nominaſti. 12. Miſerere ciuitatis ſanctificationis tuæ Hieruſalem, loci requietis tuæ. 13. Repleto Sion, vt ſuſtineat geſtando oracula tua, & gloria tua populum tuum. 14. Dato teſtimonium, ijs quæ initio abs te creata ſunt, & ſuſcita Prophetas in nomine tuo. 15. Dato mercedem expectantibus te, & fides habeatur Prophetis tuis. 16. Exaudi, Domine, precationem ſeruorum tuorum, ſecundum benedictionem Aaron de populo tuo. & cognoſcent omnes, qui in terra ſunt, quod tu ſis Dominus ſæculorum. 17. Quemuis cibum comedit venter. Eſt autem cibus cibo melior. 18. Fauces guſtant cibum venationis, & ſimiliter cor doctum ſermones mendaces. 19. Cor detortum triſticiam affert, & homo multarum rerum peritus retribuit ei. 20. Quemuis marem mulier admittit. Præſtat enim filia filiæ. 21. Pulcritudo

*critudo mulieris exhilarat vultum, & superat
omnem hominis cupiditatem, si in lingua habet
misericordiam & mansuetudinem & medicinam.
22. Non est talis maritus eius, quales sunt fi-
lij hominum. 23. Qui parat vxorem, is consti-
tuit principium fortunarum, auxiliatricem se-
cundum se, & columnam requietis. 24. Vbi
non est sepes diripietur res, & vbi non est vxor
ingemiscet errans. 25. Quis enim fidem habe-
bit expedito latroni, labascenti ex vrbe in vrbem?
Idem accidit homini non habenti nidum, & di-
uertenti vbicunque vespera inciderit.*

CAPVT XXXVII.

*OMnis amicus dicet, amicitiam etiam ego
excercui. Verum est amicus, nomine tan-
tum amicus. 2. Nunquid tristicia est ad
mortem vsque permanens? Sodalis & amicus,
qui ad inimicitias conuertitur. 3. O improba
cogitatio, vnde deuoluta es, vt tegeres aridam
fraudulentia? Amicus & sodalis vna victitant
cum lætitia, & tempore afflictionis erit hic ad-
uersarius illius. 4. Sodalis participat labores
amici ventris gratia, atque scutum sumet pro
hoste. 5. Ne obliuiscaris amici animo tuo, &
ne recorderis illius in rebus tuis. 6. Ne con-
sulta cum torue intuente te, & consilium tuum
fac occultum sit æmulantibus te. 7. Vnus-
quisque*

quisque consiliarius extollit consilium. Sed est qui dat consilium ad se ipsum. 8. Caueto animæ à consiliario, & prius noscito, quinam eius vsus sit. Etenim sibi ipse ipsi consulit. 9. Ne quando coniiciat sortem de te, & dicat tibi, bonum est iter tuum. Tum consistet ex aduerso, vt videat quid accidat tibi. 10. Ne consulta cum torue te intuente. 11. Et occultum fac sit consilium tuum æmulantibus te. 12. Cum muliere de riuali ipsius. 13. Et cum ignauo de bello. 14. Cum mercatore, de permutatione. 15. Cum emente de venditione. 16. Cum inuido de gratiarum actione. 17. Cum immiti de benignis moribus. 18. Cum pigro de quocunque opere. 19. Cum mercenario cuius opera annua conducta est, de consummatione. 20. Cum ocioso seruo, de copia operum. 21. Ne attendas hos de quacunque consultatione, verum assiduo versare cum viro pio. 22. Quemcunque cognoueris seruare mandata Domini. Qui animo suo congruit cum tuo, & hic, vbi offenderis tecum dolebit. 23. Et consilium cordis sit stabile, Non enim illo alius tibi fidelior est. Animus enim hominis renuntiare interdum plura solet, quam septem speculatores, sedentes in sublimi specula. 24. Et in omnibus his precare altissimum, vt dirigat veritas viam tuam. 25. Omnium rerum initium oratio est. & omnes actiones præcedit consilium. 26. Vestigium mutationis,

est

est vultus læticiæ. 27. Quatuor partes exoriuntur: Bonum, malum, vita, mors. Et harum perennis domina lingua est. 28. Est aliquis callidus eruditor multorum, & suo animo inutilis est. 29. Sapientiam verbis ostentans odiosus est, hunc omnis sapientia frustrabitur. 30. Non enim data est ei gratia à Domino, quod priuatus sit omni sapientia. 31. Est sapiens animo proprio, & fructus doctrinæ eius laudabiles sunt in ore. 32. Vir sapiens erudit populum suum, & firmi sunt fructus doctrinæ ipsius. 33. Vir sapiens implebitur benedictione, & beatum prædicabunt omnes videntes eum. 34. Vita hominis habet numerum dierum, & dies Israël sunt innumerabiles. 35. Sapiens in populo hæreditatem adibit gloriæ, & nomen ipsius permanebit in sæculum. 36. Mea progenies, in tua vita periculum fac animi tui, & vide quid mali insit, & ne illi indulgeas. 37. Non enim omnibus omnia congruunt. Neque omnium animi in omnib. bonam existimationem adipiscuntur. 38. Ne esto is, qui non expleatur in quibuscunque delicijs, neu profusus sis in escis. 39. In multis enim cibis accidet morbus, & qui non explentur, appropinquant ad choleram. 40. Multi, quod non explerentur, mortem obierunt, Qui autem attendit, is apponet vitam.

CAPVT XXXVIII.

Habeto

HAbeto honorem medico conuenientem vsui illius. Et ipsum enim creauit Dominus. 2. A Domino enim medicina est, & à rege tribuetur medico gloria. 3. Scientia medici alte extollet caput ipsius, & coram magnatibus erit ille in admiratione. 4. Dominus procreauit è terra medicamenta, & sapiens his non offenditur. 5. Nunquid ligno dulcis effecta aqua fuit? Vt cognosceretur robur eius ab homine. 6. Et ipse tribuit scientiam hominibus, vt gloriam adipiscerentur in mirabilibus ipsius. 7. His curauit ægrotantem, & sustulit laborem eius. 8. Vnguentarius in his mistionem conficit. Neque consummabuntur vnquam opera eius, & pax est ab ipso supra faciem terræ. 9. Mea progenies, in ægrotatione tua ne peruertito oculos tuos, sed vota facito Domino, & ipse sanabit te. 10. Absistito delicto, & dirigito manum tuam, & cor purum præsta ab omni peccato. 11. Odorem bonum præbeto, & similaginis memoriam, & facito pinguem oblationem, tanquam non extes. 12. Et relinque locum medico, etenim Dominus hunc creauit. Neque ille abs te discedat. etenim opus est ipso. 13. Est interdum tempus, vt in eorum quoque manibus sit bonus odor. Nam & ipsi Dominum precabuntur, vt tribuat requietem, & sanitatem, victus proprij gratia. 14. Qui peccat coram creatore suo, is incidat in manus medici. 15 Mea progenies, ob mortuum lacri-

mas profundito, & ordire lamenta tanquam grauia mala perpessus. 16. Secundum iudicium autem de eo exorna corpus ipsius, & ne negligas sepulturam ipsius. 17. Facito acerbus sit eiulatus, & planctus vehemens, & luctu afficitor, pro dignitate illius. 18. Vnum diem aut duos, obtrectationis gratia. Et consolationem admitte, tristiciæ causa. 19. A tristicia enim exit mors, & tristicia flectit robur cordis. 20. In inductione permanet & tristicia, & mendici vita cordis est execratio. 21. Ne tradas in tristiciam cor tuum. Remoueto hanc, recordatus vltima, ne obliuiscaris. 22. Non enim est reuersio huc. & istum non adiuuabis, & teipsum affliges. 23. Memento iudicij mei. Erit enim tale etiam tuum. Mihi heri, & tibi hodie. 24. In requiete mortui, fac acquiescat memoria ipsius. & admitte consolationem ob ipsum, dum exit spiritus ipsius. 25. Sapientia periti litterarum est in opportunitate ocij, & qui negotio suo deminuitur, is haud efficitur sapiens. 26. Quo pacto efficietur sapiens is, qui aratrum tenet? qui gloriatur in hastili stimuli. 27. Qui boues agitat, & nutritur operibus ipsorum. & narrationes eius sunt de sobole taurorum. 28. Cor suum tribuet explicandis sulcis, & vigiliæ ipsius pertinebunt ad pabula iuuencarum. 29. Talis est omnis faber & architectus, qui transigit noctem similiter diei. 30. Qui celant cela-

turas signorum, & assiduitas eorum est mutare varietatem. 31. Cor suum tribuet assimulandæ picturæ, & vigiliæ ipsius pertinebunt ad perficiendum opus. 32. Talis est faber excudens æs, qui sedet propter incudem, & exercet cognitionem suam in opere ferri. 33. Vapor ignis liquabit carnes eius, & cum calore furni decertabit. 34. Vox mallei & incudis noua percellet aurem eius, & erunt oculi ipsius intenti in similitudinem vasis. 35. Cor suum tribuet consummationi operum, & vigiliæ ipsius pertinebunt ad illa ornandum post consummationem. 36. Talis est figulus sedens in opere suo, & conuertens pedibus suis rotam. 37. Qui incumbit perpetuo in curam operis sui, & numerosa est tota elaboratio eius. 38. Brachio suo designat lutum, & ante pedes flectit robur suum. 39. Tribuet cor suum perficiendo eo quod liniatur, & vigilia eius pertinebunt ad purgandum furnum. 40. Omnes isti freti sunt manibus suis, & singuli in suis operibus sapientiam excercent. 41. Absque eis non incoletur vrbs. & non erunt aliorum vicini, neque obambulabunt. 42. In consilio populi non requirentur, & in concione non appellabuntur. 43. In solio iudicum non collocabuntur, & dispositionem iudicij non commentabuntur. 44. Neque illi declarauerint disciplinam & iudicium, & non inuenientur in parabolis. 45. Sed fulcient sæculi possessionem, & vsus

& vsus ipsorum est in elaboratione artis. 46.
Excepto eo, qui intendit animum suum, & cogi-
tatione versatur in lege altissimi.

CAPVT XXXIX.

SApientiam hic omnium antiquorum exquiret,
& occupabitur in Prophetijs. 2. *Narra-*
tionem virorum celebris nominis conseruabit, &
in parabolarum versutijs simul incedet. 3. *Ab-*
scondita in prouerbijs exquiret, & in ænigmati-
bus parabolarum versabitur. 4. *Inter me-*
dios magnates administrabit, & coram ducibus
conspicietur. 5. *In alienarum gentium terra*
transibit, Bona enim & mala inter homines ex-
pertus est. 6. *Cor suum attribuet ad Domi-*
num, vt mane euigilet ad creatorem suum. 7.
Et coram altissimo precabitur, & in adoratione
aperiet os suum, & de peccatis suis precabitur.
8. *Si Dominus ille magnus voluerit, complebi-*
tur spiritu doctrinæ. 9. *Hic effundet imbrem*
verborum sapientiæ eius, & ipse adoratione Do-
minum celebrabit confessione sua. 10. *Hic di-*
riget consilium & scientiam eius, & ipse in ab-
sconditis illius commentabitur. 11. *Hic decla-*
rabit disciplinam magisterij eius, & ipse in lege
testamenti Domini gloriabitur. 12. *Lauda-*
bunt doctrinam eius multi, & in sæculum vsque
non extinguetur. 13. *Abscedet memoria eius,*

*& nominis eius vita attinget ætates ætatum.
14. Sapientiam eius narrabunt gentes, & laudem eius enuntiabit concio. 15. Si permanserit, nomen relinquet supra alios mille. & si requieuerit, inserit sibi. 16. Alia quoque commentatus enarrabo. Sicut luna enim in medio mense repletus sum. 17. Exaudite me pij, & frondescite tanquam rosa nascens apud riuum humidum. 18. Et florete flore instar lilij. Diffundite odorem, & laudate cantico. 19. Benedicendo celebrate Dominum ob omnia opera eius, carminibus labiorum & citharis. 20. Et ita dicetis in confessione: Opera Domini sunt cuncta valde bona. 21. Et quicquid imperauerit, id fiet tempore suo. 22. Non est dicendum, quid est istud? cuncta enim ista tempore suo quærentur.
23. Verbo ipsius consistit aqua tanquam aceruus frugum, & verbo oris eius receptacula aquarum. 24. In eo quod imperat omnis est fauor beneuolentiæ, neque est qui imminuere possit salutare eius. 25. Opera vniuersæ carnis sunt in conspectu eius, neque est vt abscondatur aliquis ab oculis ipsius. 26. Ex sæculo in sæculum ille intuetur, neque est quicquam mirabile coram eo. 27. Non est quod dicatur: Quid istud est? Cuncta enim ad suum vsum creata sunt.
28. Obtexit ea benedictio illius tanquam fluuius, & ebriam fecit terram, sicut eluuio. 29. Ita hæredes erunt iræ ipsius gentes, quemadmodum*

conuertit

conuertit aquas ad salsedinem. 30. Viæ eius
rectæ sunt pijs, sicut impijs offensiones. 31. Bo-
na bonis creata ab initio sunt, & ita peccatoribus
mala. 32. Principium est omnis vsus ad vi-
tam hominis: Aqua & ignis, & ferrum, & sal,
& similago tritici, & lac & mel, sanguis vuæ
& oleum & amictus. 33. Cuncta ista pijs bo-
na sunt, sicut peccatoribus ad mala conuertun-
tur. 34. Sunt spiritus, qui ad vltionem sunt
creati, & in excandescentia eorum solida effecit
flagella eorum. 35. Tempore consummationis
robur effundunt, & excandescentiam eius, qui
autor est, sedabunt. 36. Ignis & mare &
fames & mors: cuncta hæc ad vltionem creata
sunt. 37. Bestiarum dentes, & scorpij, & vi-
peræ, & gladius vlciscens interitu impios. 38.
Ortu ipsius lætabuntur, & in terra ad manus
parabuntur, & suis temporibus sermonem non
transgredientur. 39. Propterea ab initio sta-
bilitus, & commentatus sum, & in scriptura
exposui. 40. Opera Domini bona illa sunt
omnia, & omnem vsum tempore ipsius suppedi-
tabunt, neque dici potest: Istud deterius isto est.
41. De cunctis enim tempore præclara existima-
tio futura est. 42. Et nunc omnium cor & os
laudato, & benedicendo celebrato nomen Do-
mini.

CAPVT XL.

NEgotij plurimum vnicuique mortali creatum est, & iugum graue, supra filios Adam. 2. Ex eo die quo egressi fuere de ventre matris suæ, ad diem vsque reuersionis ad matrem omnium. 3. Post diuersas cogitationes ipsorum & timorem cordis, intentio animi in expectationem, dies mortis. 4. Ab illo qui sedet in glorioso solio, & vsque ad humiliter abiectum in terra & cinere. 5. Ab illo qui hiacynthinum gestat atque coronam, & vsque ad eum qui amicitur rudi lino. 16. Excandescentia & æmulatio, conturbatio & fluctuatio, & timor mortis, & simulacrum, & contentio, & tempore requietis in cubili somnus mutat noticiam ipsius. 7. Parum, instar eius quod est nihil, in requiete est. & exinde in somnis, tanquam in diebus speculæ. 8. Conturbatur visione cordis sui, tanquam is, qui effugit faciem belli. 9. Tempore salutis suæ expergiscitur, & admiratio desinit in nullo metu, cum vniuersa carne, ab homine vsque ad pecudem. 10. Et in peccatoribus ad hæc septies tanta. Mors, & contentio, & gladius, & sanguis, adductio famis & contritionis & flagelli. 11. Ad violatores legis omnia ista creata sunt, & extitit propter ipsos diluuium illud. 12. Cuncta quæ ex terra sunt, ad terram reuertuntur, & ab aquis in mare est reflexio. 13. Omnis largitio & iniusticia delebitur, & fides stabit in sæculum. 14. Pecunia iniustorum tanquam fluuius

nius arescet, & sicut tonitru magnum in imbri-
bus sonitu deficietur. 15. *Dum manus aperit,*
lætabitur. Sic transgredientes, tandem deficient.
16. *Progenies impiorum non multiplicat fron-*
des, & radices impuræ sunt in rupe præcipite.
17. *Squalor in omnibus aquis & fluuij labris*
ante omnia gramina euelletur. 18. *Gratia*
tanquam paradisus cum benedictionibus, & mi-
sericordiæ opus, in sæculum permanet. 19. *Vi-*
ta operarij, cui quantum satis est suppetit, dulcis
erit, & vltra vtraq; est inuentor thesauri. 20.
Liberi & ædificatio vrbis, stabiliunt nomen, &
vltra vtraque vxor expers culpæ æstimatur. 21.
Vinum & musica exhilarant cor, & vltra vtra-
que est amor sapientiæ. 22. *Tibia & psalteri-*
um efficiunt suaues carminum modos, & vltra
vtraque est, lingua suauis. 23. *Gratiam &*
formositatem concupiscet oculus, & vltra vtraq;
herba satorum. 24. *Amicus & sodalis occur-*
rentes tempore, & vltra vtraque, vxor cum vi-
ro. 25. *Fratres & auxilium, tempore affli-*
ctionis, & vltra vtraque misericordiæ opus libe-
rabit. 26. *Aurum & argentum efficient, vt*
pes consistat, & vltra vtraque consilium magni-
fit. 27. *Pecuniæ & robur extollent alte cor,*
& vltra vtraque, timor Domini. 28. *Non*
est in timore Domini deminutio, & non est vt
sibi aliquis auxilium quærat. 29. *Timor Do-*
mini instar paradisi benedictionis, & vltra

 omnem glo-

omnem gloriam opperuit eum. 30. *Mea progenies, ne viuas vitam mendicitatis. Satius est mori, quam mendicare.* 31. *Qui intuetur in mensam alienam, is non habet victum in ratione vitæ.* 32. *Contaminabit animam suam escis alienis. At scientia præditus & bene institutus, cauebit.* 33. *In ore impudentis dulcis erit mendicatio, & in ventre eius accendetur ignis.*

CAPVT XLI.

O Mors, quam acerba est memoria tui homini quieto in bonis suis. 2. *Viro nullis curis distracto, & cui omnia feliciter procedunt, & qui cibum adhuc capere valet.* 3. *O mors, præclarum est iudicium tuum homini indigenti, & qui viribus deficitur.* 4. *In extrema senectute, & qui curis omnibus distrahitur, & diffidenti, & qui amisit patientiam.* 5. *Ne veritus sis iudicium mortis. Memento priorum te & vltimorum.* 6. *Istud enim iudicium de carne est à Domino. & cur refragaris ei, quod placuit voluntati altissimi?* 7. *Siue decem, siue centum siue mille anni, non est apud Orcum vt coarguatur vita.* 8. *Liberi execrabiles fiunt liberi peccatis obnoxiorum, & qui diuersantur in vicinijs impiorum.* 9. *Liberum eorum, qui sunt peccatores, peribit hæreditas, & cum semine eorum perenne est probrum.* 10.

Patri

Patri impio succensebunt liberi, quia propter ipsum probris afficientur. 11. *Væ vobis homines impij, qui dereliquistis legem Altissimi.* 12. *Quamuis enim copiosi sitis, ad interitum hoc pertinet. Et cum nati fueritis, ad detestationem nascemini. & vbi mortui fueritis, dispertiemini ad interitum.* 13. *Omnia terra orta, ad terram reuertentur. Sic impij ad interitum.* 14. *Luctus hominum in corporibus est ipsorum. Hominum vero nomen non bonum delebitur.* 15. *Curæ sit tibi nomen. Hoc enim diutius permanet, quam mille thesauri ingentes auri.* 16. *Vita bona habet numerum dierum, & nomen bonum in sæcula permanet.* 17. *Mea progenies conseruato disciplinam in pace.* 18. *Sapientia occulta & thesaurus non manifestus. Quæ vtilitas est in vtrisque.* 19. *Præstat aliquis occultans stulticiam suam, ei qui occultat sapientiam suam.* 20. *Atque verecundia commouebitur, ob meam orationem. Non est enim honestum, vitare omnem pudorem, & non omnia omnibus fideliter bonam existimationem pariunt.* 21. *Pudore afficiamini patris & matris, ob scortationem.* 22. *Et ducis atque potentis, ob mendacium.* 23. *Et iudicis atque magistratus, ob delictum.* 24. *Congregationis atque populi, de iniquitate.* 25. *Socij & amici, ob iniusticiam.* 26. *Et loci vbi vicinia tua est, ob furtum.* 27. *Veritatis Dei & testamenti.* 28. *Et defixionis cubiti*

supra panes. 29. *Exagitationis accepti & dati.* 30. *Salutantis, ob reticentiam.* 31. *Aspectus mulieris meretricis.* 32. *Et auersi vultus hominis generosi.* 33. *Ablatæ partis & donationis.* 34. *Intenti animi in mulierem habentem virum.* 35. *Curiositatis & ancillæ, & ne consistas ad cubile eius.* 36. *Amici, ob dicta exprobrationis. Et postquam dederis, ne exprobra.*

CAPVT XLII.

ET iterationis & sermonum auditus, & detectionis sermonum occultorum. 2. *Et eris verecundus reuera, & is qui gratiosus sit apud quemuis hominem.* 3. *Ne pudore de his afficiaris, neque sumas personam peccandi.* 4. *De lege altissimi atque testamento.* 5. *Et de iudicio, iusta pœna afficiendi impium.* 6. *De sermone socij ac viatorum.* 7. *Et de donatione atque hæreditate sodalium.* 8. *Et veritate trutinæ ac ponderum.* 9. *De re copiosa & tenui.* 10. *De discrimine venditionis mercatorum.* 11. *De castigatione frequente liberum.* 12. *Et serui improbi cruentando latus.* 13. *(Bonum est obsignari mulierem improbam. & vbi sunt manus multæ, ibi claudito.* 14. *Si quid tradideris, numerus assit & pondus. & datum atque acceptum omnino sit in scriptura.)* 15. *De castiga-*

De castigatione amentis atque stulti, & decrepiti
senis disceptante cum iuuenibus. & eris reuera
bene institutus, & probatus coram omni viuen-
te. 16. *Filia, occultæ vigiliæ patri, & soli-*
citudo de ea remouet somnum. 17. *Et ne in*
iuuentute ipsius prætereat ætatis vigor, & ne in
matrimonium collocata, odio habeatur. 18. *In*
virginitate ne polluatur, & in paternis ædibus
grauida fiat. 19. *Et coniuncta viro, ne quan-*
do transgrediatur. 20. *Et in matrimonio ne*
forte sterilescat. 21. *In custodia solida retineas*
filiam inuerecundam, ne forte faciat vt sis læti-
tia hostibus rumor in ciuitate, & ignominiosus
in populo, & dedecoret te in copia multorum.
22. *Ne cui mortali ob formositatem oculos in-*
tendas, & inter medias mulieres ne assidas. 23.
Ex vestibus enim exit tinea, & ex muliere im-
probitas mulieris. 24. *Præstat improbitas*
viri beneficæ mulieri. 25. *Mulier dedecorans*
pertinet ad probrum. 26. *Meminero iam ope-*
rum Domini, & quæ vidi, enarrabo. 27. *In*
verbis Domini sunt opera eius. Et sol illustrans
ad omnia aspicit, & gloria Domini plenum est
opus ipsius. 28. *Non inseuit hoc sanctis suis,*
vt enarrarent omnia mirabilia ipsius. 29. *Do-*
minus omnipotens fecit vt solidum esset, & stabi-
liretur in gloria hoc vniuersum. 30. *Abyssum*
& cor peruestigauit, & in astutijs ipsorum est
commentatus. 31. *Nouit enim altissimus*

vniuersam scientiam, & intuetur signa saeculi. 32. *Annuntians praeterita & futura, & aperiens vestigia rerum absconditarum.* 33. *Haud praeterit eum vlla cogitatio. Haud est absconditus ei sermo vllus.* 34. *Ingentia opera ornauit sapientia sua.* 35. *Qui ante saeculum est, & in saeculum. Neque adiectum neque deminutum est quicquam. Neque ipse vllo indiguit consiliario.* 36. *Quam sint desiderabilia omnia opera ipsius, contemplari licet progrediendo ad scintillam vsque.* 37. *Cuncta ista manent & viuunt in saeculum per omnes vsus, & omnia obaediunt.* 38. *Omnia sunt bina, vnum vni oppositum. Et nihil fecit quicquam deficiens.* 39. *Unum vnius, fecit vt solida essent bona. Et quis explebitur aspiciendo gloriam Dei?*

CAPVT XLIII.

Exultatio superbientis sublimis est firmamentũ purum. 2. *Species caeli in aspectu glorioso. Sol aspectui perferens nuntium gloriose.* 3. *Meridie suo desiccat terram, & aduersus ardorem eius quis consistet?* 4. *Est qui fornacem inflat operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes.* 5. *Vapores efflans igneos, & effulgens radijs praestinguit oculos.* 6. *Magnus Dominus qui illum fecit. Et verbis suis progressionem sedat.* 7. *Et lunam fecit ad statum, ad*

tempus

tempus suum. 8. Ad ostendenda tempora & signum sæculi. & à luna est signum feriarum. 9. Luminare quod tandem deminuitur. Mensis est secundum nomen ipsius. 10. Crescens mirabile efficit mutatione vas castrorum in sublimi, in firmamento cæli elucens. 11. Pulcritudo cæli gloria est siderum, ornatus illustrans in altissimis Domini. 12. In verbis sancti statuent iudicatum. Atque haud unquam conflagrauerint in custodia sua. 13. Aspice Arcum, & benedicito eum qui fecit. Valde speciosus est in suo splendore. 14. Curuauit cælum flexu circuli gloriosi, manus altissimi intenderunt illum. 15. Imperio suo sedauit niuem, & celeriter incitat fulgura iudicij sui. 16. Propterea aperti sunt thesauri, & euolarunt nubes tanquam volucres, in opere ingente suo vires addidit nubibus, & confracti sunt lapides grandinis. 17. Vox tonitrui ipsius parturire terram fecit, & in visione ipsius spirabit Auster. 18. Et procella Aquilonis, & turbo venti. Tanquam deuolantes volucres, spargit niuem, & est descensio huius similis diuertenti locustæ. 19. Forma albedinis ipsius admirationem affert oculis, & ad imbrem ipsius consternatur cor. 20. Et pruinam effundit in terram tanquam salem, & vbi gelu coactum fuerit existunt palorum cacumina. 21. Frigidus spirabit ventus Aquilo & glacies gelu cogetur de aqua. 22. Ad aquam vbiuis collectam

diuerte-

diuertetur, & eam veluti lorica induet. 23. Deuorabit montes, & desertum exuret, & extinguet herbam tanquam ignis. 24. Sanatio omnium studiosa est nebula. Ros occurrens ab æstu hilaritatem afferet. 25. Cogitatione eius acquieuit immensum profundum, & in eo consituit insulas. 26. Nauigantes mare narrant periculum eius, & auditu aurium nostrarum miramur. 27. Et ibi incredibilia atque mirabilia opera, varietas omnium animalium, discrimen cetorum. 28. Et per ipsum prosperum est iter angeli ipsius, & verbo eius constant omnia. 29. Multa dicemus, sed haud vnquam attingemus summam. & pro consummatione dictorum: Ipse est hoc vniuersum. 30. Glorificantibus nobis quo pacto vires sufficient? Ipse enim magnus est, supra omnia opera sua. 31. Terribilis est Dominus & magnus vehementer. Et admirabilis potentia eius. 32. Glorificantes Dominum alte extollite quantum potestis, altior enim adhuc extabit. 33. Et extollentes eum alte, copiam virium adhibete. Ne defatigemini. Haud enim assequemini vnquam. 34. Quis vidit ipsum & enarrabit? Et quis magnitudinem eius celebrando exprimet sicut est? 35. Multa abscondita maiora sunt istis, pauca ex operibus ipsius vidimus. 36. Omnia enim fecit Dominus, & pijs contulit sapientiam.

CAPVT XLIIII.

LAudabimus iam viros celebres & patres
nostros procreatione. 2. Magnam glori-
am creauit Dominus in ipsis maiestate sua à
sæculo. 3. Hi fuerunt dominantes in regnis
suis, & viri clari nominis cum potentia. 4.
Consultantes in doctrina sua, qui nuntia attule-
runt in Prophetijs. 5. Ductores populi in de-
liberationibus, & in doctrina scripturæ populi.
6. Sapientes sermones in disciplina eorum, exqui-
rentes modos carminum, & enarrantes versus
scriptos. 7. Viri opulenti, instructi roboris
copia, pace fruentes in suis habitationibus. 8.
Omnes isti ætatibus suis in præclara existimatione
fuerunt, & in diebus ipsorum est, quo gloriemur.
9. Quidam eorum reliquerunt nomen, vt enar-
rentur laudationes. 10. Et quorundam nulla
restat memoria, & interierunt, tanquam non
extarent, & prouenerunt, tanquam non proue-
nissent, itemq; liberi ipsorum post eos. 11. Ve-
rum illi viri misericordiæ, quorum ipsorum iusti-
ciæ non sunt deletæ obliuione. 12. Vna cum
semine ipsorum permanet bona hæreditas, nepotes
ipsorum in testamentis. 13. In testamentis est
semen ipsorum, & liberi ipsorum post eos. 14.
In sæculum vsque permanet semen ipsorum, &
gloria eorum non delebitur. 15. Corpora eo-
rum in pace sepulta sunt, & nomen ipsorum vi-
uit in

uit in sæculum sæculi. 16. Sapientiam eorum enarrabunt populi, & laudem ipsorum annuntiabit concio. 17. Enoch perplacuit Domino Deo, & alio translatus est, ad exemplum pœnitentiæ omnibus ætatibus. 18. Noe inuentus est perfectus, iustus, tempore iræ extitit reconciliatio. 19. Propterea factum est diluuium, & pacta conuenta sæculi stabilita sunt ad ipsum: Ne deleretur diluuio caro vniuersa. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis gloriæ eius. 21. Qui conseruauit legem altissimi, & cum hoc fecit pactum conuentum. 22. In carne sua stabiliuit pactum conuentum, & in tentatione fidelis inuentus est. 23. Propterea iureiurando stabiliuit ipsi: Benedicturum se gentes in semine eius. 24. Multiplicare ipsum tanquam puluerem terræ, & tanquam sidera alte extollere velle semen eius, & hæreditatem illis tribuere à mari vsque ad mare, & à fluuio vsque ad terram extremam. 25. Et in Isaac pariter stabiliuit, propter Abraham patrem ipsius, benedictionem omnium hominum, & pactum, & requieuit illa supra caput Iacob. 26. Agnouit eum in benedictionibus, & tribuit ei hæreditatem. 27. Et diuisit partem ipsius, in tribubus, quos partitus est, duodecim. 28. Et eduxit ex ipso virum misericordiæ, inuenientem gratiam in oculis vniuersæ carnis.

Caput

CAPVT XLV.

Dilectum Deo & hominibus Mosen, cuius memoria est in benedictionibus. 2. Assimilauit eum gloriæ sanctorum, & magnum fecit in pauoribus hostium. 3. Eloquijs ipsius signa repressit, & glorificauit eum ante faciem Regum 4. Mandata dedit ipsi ad populum suum, & exhibuit ei speciem gloriæ suæ, in fide & mansuetudine ipsius sanctificauit eum. 5. Elegit eum ex vniuersa carne, fecit vt esset auditor vocis suæ, & introduxit eum in caliginem. 6. Et tradidit ei mandata coram, legem vitæ & scientiæ. 7. Docuit Iacobum pactum, & iudicia sua Israëlum: 8. Aaronem alte extulit sanctum, similem illi, fratrem eius, ex tribu Leui, stabiliuit ei pactum conuentum sæculi, & tribuit ei sacerdotium populi. 10. Fecit vt beatus esset in præclaro ornatu, & cinxit eum amictu glorioso. 11. Induit eum consummata gloriandi copia, & fecit vt esset soliditas in vasis roboris ipsius. 12. Feminalia & tunicam ad pedes demissam & humerale, & circumdedit eum malis paruulis punicis. 13. Tintinabulis plurimis in circuitu, vt sonaret vox in ipsius gressibus. 14. Vt facerent exaudiri sonum in templo, & ad memoriam filijs populi eius. 15. Veste sancta, auro & hyacintho & purpura, opere varietatis. 16. Rationali iudicij, perspicuis indicijs veri-

tatis, retorto cocco, opere artificis. 17. *Lapidibus preciosis, celaturis signi, deuinctis auro opere artificis lapidum, ad memoriam inserta scriptura celata, secundum numerum filiorum Israël.* 18. *Coronam auream supra cidarim, expressam figuram signi sanctitatis.* 19. *Gloriatio decoris, opera roboris, desideria oculorum, ornamenta speciosa.* 20. *Ante eum non extiterunt talia, & usque in sæculum non induit alienigena. Verum filij ipsius soli, & nepotes eius perpetuo.* 21. *Sacrificia ipsorum integro fructu offerentur, indies bis iugiter.* 22. *Impleuit Moses manus eius, & vnxit eum vnguento sancto.* 23. *Extitit hoc illi ad pactum sæculi, & semini eius in diuturnitate cœli.* 24. *Vt munere publico ipsius fungerentur & essent sacerdotes, & benedicerent populum in nomine eius.* 25. *Elegit eum, vt præ omni viuente offerret sacrificiorum fructum Domino.* 26. *Incensum & bonos odores, ad memoriam placationis, vt propitius esset populo suo.* 27. *Tradidit ei mandata sua, potestatem in pactis conuentis iudiciorum.* 28. *Vt doceret Iacobum testimonia, & in lege ipsius illustraret Israëlum.* 29. *Seditiosi fuerunt aduersus eum alieni, & æmulando infesti in deserto.* 30. *Factio illa Dathan & Abiron, & congregatio Chore, in excandescentia & ira.* 31. *Vidit Dominus & nequaquam approbauit, & consummati illi fuere in iræ*

*excandescentia. 32. Fecit in ipsis portenta, vt
absumeret eos flamma ignis. 33. Et Aaroni
addidit gloriam, & tribuit ei hæreditatem. 34.
Impertiuit ei primitias primorum fœtuum. 35.
Panem inprimis præparauit in copia. Etenim sa-
crificia Domini comedent, quæ dedit ei & semini
ipsius. 36. Verum in terra populi non erit
hæreditas eius, & pars ipsi non tribuitur in po-
pulo. 37. Ipse enim Dominus pars est hære-
ditatis eius. Et Phinees Eleassaris filius tertius
est ad gloriam. 38. Eo, quod exarsit in timo-
re Domini, & stetit in profligatione populi. 39.
In fortitudine promti animi sui, & placationis
Israëlo autor fuit. 40. Propterea statuit ei
pactum pacis, vt esset præses sanctorum in populo
suo. 41. Vt ipsius esset & seminis eius sacer-
dotij magnum munus in sæculum. 42. Statuit
& pactum filio ex tribu Iuda Dauid. 43. Hæ-
reditas regia est filij ex filio solo. Hæreditas Aa-
ronis debetur semini ipsius. 44. Det vobis
sapientiam in corde vestro, ad iudicium in populo
ipsius iustum (ne euanescant bona ipsorum) &
gloriam suam in ætates vestras.*

CAPVT XLVI.

*Fortis in bello Iesus filius Nauæ, & successor
Mosis in Prophetijs. 2. Qui fuit, secun-
dum nomen suum magnus ad salutem electorum*

ipsius (Dei æterni.) 3. Vlcisci hostes qui excitabantur, vt distribueret hæreditatem Israëlo. 4. Qui gloriam consecutus est extollendo manus suas, & stringendo gladium in ciuitates. 5. Quis prior eo ita constitit? Nam bella Domini ipse ductor gessit. 6. Nonne in manu eius retrocessit sol, & vnus dies extrusus est ad duos. 7. Inuocauit altissimum principem, in conterendo hostes vndique. 8. Et exaudiuit eum Dominus in lapidibus grandinis potentiæ vehementis. 9. Inflixit in gentes belli impetum, & in descensu peremit resistentes, vt cognoscerent gentes omnia arma ipsorum, quia coram Domino erat bellum eius. 10. Etenim potentem Principem secutus fuit, & misericordiam excercuit tempore Mosis. 11. Ipse & Chaleb filius Iephone, vt resisterent coram concione. 12. Vt prohiberent populum peccato, & sedarent murmur improbitatis. 13. Et ipsi duo isti conseruati fuerunt de sescentis milibus peditum. 14. Vt deducerent eos in hæreditatem in terram fluentem lac & mel. 15. Et tribuit Dominus Chaleb robur, & permansit hoc vsque ad senectutem, vt ascenderet altitudinem terræ, & semen eius obtinuit hæreditatem. 16. Vt viderent omnes filij Israël, quod bonum sit sequi Dominum. 17. Etiam iudices, singuli suo nomine. Quorum in scortationem non prolapsum cor est, & qui non sunt auersi à Domino, & memoria eorum est in benedictioni-

nedictionibus. 18. Ossa ipsorum frondescant in
loco suo, & nomen existimationis præclaræ per-
mutetur in filijs ipsorum. 19. Dilectus à Do-
mino ipso Samuel, Propheta Domini, constituit
regna, & vnxit Principes, qui regerent popu-
lum suum. 20. Ex lege Domini iudicauit con-
gregationem, & respexit Dominus ad Iacob.
21. In sua fide exquisitus Propheta fuit, & co-
gnitus in verbo suo, & inuocauit Dominum
Principem potentem. 22. Cum vrgerent ipsum
hostes vndiq; , in oblatione maris lactentis, &
tonuit celitus Dominus. 23. Et sonitu ingente
tonitrui fecit, vt exaudiretur vox ipsius, & con-
triuit ductores Tyriorum, & omnes Principes
Palæstinorum. 24. Et ante tempus soporis
sæculi contestatus est coram Domino & Christo
ipsius. 25. Pecunias vsque ad calceamenta
non accepi ab vniuersa carne. 26. Et non in-
tulit ei crimen quisquam. 27. Etiam post-
quam obdormierat vaticinatus est, & ostendit
regi mortem ipsius, et alte sustulit de terra vo-
cem suam, vt per Prophetiam deleretur iniqui-
tas populi.

CAPVT XLVII.

ET post hunc surrexit Nathan diebus Dauidis.
2. Vt adeps separatus ab hostia salutari, sic
Dauid ab Israëligenis. 3. Inter leones pere-

grinatus fuit ſicut inter hœdos, & inter vrſos ſi-
cut inter agnos ouium. 4. *In iuuentute ſua*
interfecit Gigantem, & abſtulit opprobrium à
populo. 5. *Eo etiam quod manum extulit cum*
lapide fundæ, vt ſterneret ſuperbam exultatio-
nem Goliath. 6. *Inuocauit enim Dominum,*
& tribuit robur dextræ eius, vt tolleret homi-
nem potentem in bello, & alte extolleret cornu
populi ſui. 7. *Ita celebrauit eum glorioſe in*
decem milibus, & laudauit eum in benedictioni-
bus Domini. 8. *Cum afferretur ei corona glo-*
riæ contriuit ille hoſtes circumquaq;, & redegit
ad nihilum palæſtinos aduerſarios. 9. *Ad ho-*
diernum vſque diem contriuit cornu ipſorum. In
omni opere ſuo tribuit confeſſionem. 10. *San-*
cto Altiſſimo oratione glorioſa cecinit hymnum
toto corde ſuo, & dilexit creatorem ſuum. 11.
Et conſtituit pſalmorum cantores coram altari,
qui illo ſono dulces ederent modos carminum, &
quotidie laudarent canticis ſuis. 12. *Contulit*
ferijs decorem, & ornauit tempora perfecte, cele-
brantibus illis ſanctum nomen eius, & ex tempo-
re matutino ſonare ſanctitatem ipſius. 13. *Do-*
minus abſtulit peccata illius. 14. *Et tribuit*
illi pactum regni, & ſolium gloriæ in Iſraël. 15.
Poſt hunc ſurrexit filius præditus ſcientia, &
per illum diuerſatus eſt (populus) in latitudine.
16. *Solomon rex fuit in diebus pacis, & cele-*
bris fuit gloria eius, poſtquam quietem effecerat
Deus

Deus circum ipsum vbique. 17. Vt statueret ædem in nomine eius, & pararet sanctitatem in sæculum. 18. Qui sapiens factus est in iuuentute sua, & impletus tanquam fluuius doctrina. 19. Terram obtexit anima tua totam, & impleuit parabolis ænigmatum. 20. Ad insulas longe peruenit nomen tuum, & contentum hoc fuit pace tua. 21. De canticis & prouerbijs & parabolis & interpretationibus admiratæ fuerunt regiones. 22. In nomine Domini Dei vniuersæ terræ, Dei Israël, quem tu inuocasti. 23. Congregasti aurum, tanquam stannum, & multiplicasti argentum, sicut plumbum. 24. Inclinasti viscera tua ad mulieres & subiectus es alienæ potestati corpore tuo. 25. Addidisti culpam gloriæ tuæ, & effecisti profanum semen tuum, vt iram adduceres in liberos tuos, & compungereris in stulticia tua. 26. Vt dimidium fieret dominationis, & ex Ephraim principatus esset regni contumacis. 27. Deus autem nequaquam intermiserit misericordiam suam, & haud quicquam interierit ex operibus ipsius. 28. Neque ille deleuerit nepotes electi sui, & semen eius, qui ipsum dilexit, neutiquam sustulerit. 29. Et Iacobo tribuit reliquias, & Dauidi radicem ex ipso. 30. Et requieuit Solomon cum patribus & reliquit post se aliquid seminis sui. 31. Populi stulticiam, & deminutum doctrina Roboam, qui caussam dedit defectionis populi, consilio suo.

 32. Fuit

32. *Fuit & Hieroboam filius Nabath autor pec-*
cati Israëlo. 33. *Et præbuit Ephraimo viam*
peccati, & multiplicata sunt peccata ipsorum
valde. 34. *Ut amoueret eos à terra, donec ira*
atque vltio ad ipsos perueniret.

CAPVT XLVIII.

ET surrexit Elias Propheta tanquam ignis, &
ardebat sicut fax sermo eius. 2. *Qui ad-*
duxit in ipsos famem vehementem, & ardore suo
fecit vt essent illi numero pauci. 3. *In verbo*
Domini aperuit celum, & deduxit ter ignem ex
celo. 4. *Quantam gloriam adeptus es Elia*
miraculis tuis, & quis similis tibi est gloriando?
5. *Qui suscitasti mortuum de morte, & ex orco*
animam in verbo Altissimi. 6. *Qui deduxi-*
sti reges ad interitum, & gloria celebres de lecto
ipsorum. 7. *Audiens in Sina coarguentem*
Dominum, & in Choreb iudicia vltionis. 8.
Ungens reges ad retribuendum, & Prophetas
successores post te. 9. *Qui receptus es in tur-*
bine ignis, curru equorum igneorum. 10. *Qui*
perscriptus ad coarguendum ad certa tempora, ad
sedandum iram iudicij Domini excandescentem,
ad conuertendum cor patris ad filium, & consti-
tuendas tribus Israëliticas. 11. *Beati qui vi-*
derunt te, & consopiti in caritate. Et nos enim
vita viuemus. 12. *Elias qui contectus fuit*
turbine.

turbine. 13. Et Elissæ repletus fuit spiritu sancto, & temporibus suis non est fluctuando commotus à principibus, & sua potentia nemo fuit superior ipso. 14. Nullus sermo superauit illum, & in sopore vaticinatum est corpus eius. 15. Et in sua vita fecit portenta, & in morte mirabilia fuere eius opera. 16. Inter hæc cuncta non resipuit pœnitendo populus, & non destiterunt à peccatis suis. 17. Donec hostili vastatione abducti fuere ex sua terra, & dissipati in totá terra, & est relictus populus exiguus, & Princeps in domo Dauidis. 18. Quidam sane fecerunt quod probaretur, quidam vero multiplicarunt peccata. 19. Essecias muniuit vrbem, & in medium illius introduxit aquam. 20. Perfodit ferro rupem præcipitem & ædificauit fontes vt aqua suppeteret. 21. Temporibus ipsius ascendit Sennacherim, & ablegauit Rapsacen ex Lachis. 22. Et sustulit manum suam supra Sion, & magnifice gloriatus est in superbia sua. 23. Tunc fluctuarunt corda & manus ipsorum, & dolorem senserunt instar parturientium, & inuocarunt Dominum illum misericordem, expandentes manus suas ad ipsum. 24. Et sanctus ex celo exaudiuit eos, & liberauit eos in manu Esaiæ. 25. Percussit castra Assyriorum, & contriuit illos angelus eius. 26. Fecit enim Essecias quod placeret Domino, & permansit constanter in itineribus Dauid patris sui,

 sicut

ſicut præceperat Eſaias Propheta ille Magnus, & venerandus in viſione ſua. 27. Temporibus ipſius retroceſſit ſol, & addidit vitam regi. 28. Spiritu magno vidit poſtrema, & conſolatus eſt lugentes in Sion. 29. Vſque in ſæculum demonſtrauit futura, & abſcondita priuſquam illa aduenirent.

CAPVT XLIX.

MEmoria Ioſiæ, ad compoſitionum odorum qui incendantur, operi confecto vnguentarij, in omnium ore dulcis futura eſt ſicut mel, & tanquam cantus Muſici in conuiuio & potu vini. 2. Ipſe plane rectus fuit in populi conuerſione, & exemit execrationes iniquitatis. 3. Direxit ad Dominum cor ſuum, temporibus violantium legem, confirmauit pietatem. 4. Præter Dauidem & Eſſeciam & Ioſiam, omnes delictum deliquerunt. 5. Deſeruerunt enim legem altiſſimi, reges Iudæ defecerunt. 6. Tradidit cornu eorum alijs, & gloriam ipſorum genti alienæ. 7. Incenderunt electam vrbem ſanctitatis. 8. Et vaſtauit vias illius in manu Hieremiæ, affl ixit enim ipſum. 9. Et ipſe in vtero matris ſanctificatus fuit Propheta, ad eradicandum & affligendum & perdendum, ſimiliter ad ædificandum & conſerendum. 10. Ieſſeciel, qui vidit viſionem gloriæ, quam oſtendit ei

in curru Cherubim. 11. Etenim meminit ho-
stium in imbre, & perfecte erexit dirigentes iti-
nera. 12. Et duodecim Prophetarum sit me-
moria in benedictionibus. 13. Quam est ma-
gnifica oratio nostra de Zorobabelo? Et ipse tan-
quam annuli signum in manu dextra. 14. Sic
Iesus filius Iosedeci. Qui temporibus suis ædifi-
carunt Domum, & alte eduxerunt templum
sanctum Domino, paratum ad gloriam sæculi. 15.
Et inter electos erat Neemias, cuius prolixa est
memoria, qui erexit nobis mœnia collapsa, & sta-
biliuit portas atque vectes, & instaurauit areas
ædium nostrarum. 16. Nemo talis creatus
fuit in terra qualis Enoch, etenim sublatus sur-
sum est ex terra. 17. Neque sicut Ioseph quis-
quam natus est ductor fratrum, stabilitas popu-
li, & ossa ipsius respexit Dominus. 18. Sem
& Seth inter homines gloriose celebrantur, & su-
pra omne in creatura Adam.

CAPVT L.

Simon Oniæ filius sacerdos magnus, qui in sua
vita sartum tectum præstitit domum, & tem-
poribus suis fecit vt soliditas esset populi. 2. Et
ipso autore fundata est altitudo duplex, analem-
ma sublime, septum templi. 3. Temporibus
eius nimis angusta fuere receptacula aquarum,
æs ipsum immensum instar maris. 4. Cui curæ
fuit

fuit ne populus concideret, qui corroborans vrbem, & oppugnauisti, qui gloriam adeptus es in populo circumfuso, in exitu domus veli. 5. Tanquam stella matutina inter nubes medias. 6. Vt luna plena diebus suis, & quemadmodum Arcus illuminans nubes gloria. 7. Tanquam sol lucem emittens in templũ Altissimi, tanquam flos rosarum in diebus temporum nouorum. 8. Tanquam lilia ad profluentem aquam, tanquam frondes libani diebus æstatis. 9. Tanquam ignis, tanquam tus in foculo. Tanquam vas aureum solide excusum malleo, ornatum omni lapide precioso. 10. Tanquam olea decora ferens frondescendo fructus, & tanquam cupressus alte in nubes sese extollens. 11. Applicando sibi vestem gloriæ, & induendo perfectionem gloriationis. 12. Ascendendo altare sanctum gloriosum effecit amictum sanctitatis. 13. Iam accipiendo carminum modos ex manibus sacerdotum, stantem ipsum ad focum altaris, vndique corona fratrum, tanquam frondes Cedrorum in Libano, & sicut stipites palmarum, circumdedit eum. 14. Et omnes filij Aaronis in sua gloria, & oblatio Domini in manibus eius, coram vniuersa concione Israëligenarum. 15. Cum numero consummato publicorum ministrorum apud altare, ad exornandam oblationem Altissimi omnipotentis. 16. Extendit ad libatorium manum suam, & libauit de sanguine vuæ. 17. Effudit ad fundamenta

altaris

altaris odoratum boni odoris altissimo regi omnium. 18. Tunc exclamauerunt filij Aaronis, insonuerunt tubis ductilibus. 19. Fecerunt vt exaudiretur vox magna, ad memoriam, coram Altissimo. 20. Tunc populus vniuersus accelerauit, & ceciderunt in faciem supra terram. 21. Vt adorarent Dominum ipsorum, omnipotentem Deum Altissimum. 22. Et laudes celebrarunt cantores Psalmorum canticis suis, sono multiplice dulces fuere carminum modi. 23 Et orauit populus Dominum altissimum in precatione coram misericorde, donec consummaretur ornatus Domini, & perfuncti fuere munere ministerij ipsius. 24. Tunc descendit & sustulit manus suas supra vniuersam concionem filiorum Israël, tribuendo benedictionem Domini ex labijs suis, & gloriando in nomine eius. 25. Et perseuerarunt in adoratione iterata, vt admitterent benedictionem ab Altissimo. 26. Et nunc benedicendo celebrate Deum omnium, facientem ingentia solum omnino. 27. Qui alte extollit dies nostros ex vtero matris, & agentem nobiscum secundum misericordiam suam. 28. Vt existat pax temporibus nostris apud Israëlitas, secundum dies sæculi. 29. Vt confirmet fidem misericordiæ suæ nobiscum, & temporibus nostris liberet nos. 30. In duabus gentibus offenditur animus meus, & tertia non est gens. I. Sedentes in monte Samariæ. II. Et homines incolæ Palestinæ.

stinæ. III. Et populus stultus habitans in Sicimis. 31. Disciplinam doctrinæ & scientiæ exarauit in libro isto Iesus filius Sirachi Hierosolymita, qui effudit imbrem sapientiæ de corde. 32. Beatus qui in his versabitur, & qui reposuerit ea supra cor suum, is sapiens futurus est. 33. Si enim fecerit illa, robustus erit ad omnia, quia lux Domini vestigium ipsius est, & pijs dedit sapientiam. 34. Benedictus Dominus in sæculum, fiat, fiat.

CAPVT LI.

CONfitendo celebrabo te Domine Rex, & laudabo te Deum saluatorem meum. 2. Confitebor nomini tuo, quia protector & adiutor factus es mihi. 3. Et liberasti corpus meum de interitu, & de laqueo calumniæ linguæ. 4. De labijs operantium mendacium, & coram resistentibus mihi extitisti adiutor. 5. Et liberasti me secundum copiosam misericordiam nominis tui, de rictibus paratis ad deuorationem. 6. De manu quærentium animam meam, de compluribus afflictionibus meis, de angore ignis vndique. 7. (Ab igne medio non sum inflammatus) & de lingua impura, & de sermone mendace, calumnia apud Regem, de lingua iniusta. 8. Ad mortem vsque appropinquauit anima mea, & vita mea propinqua fuit Orco infimo.

infimo. 9. Circumdederant me vndique, ne-
que erat adiutor. 10. Spectabam subleuatio-
nem hominum, & erat nusquam, & recordatus
fui misericordiæ tuæ, Domine, & effectionis hu-
ius à sæculo. 11. Quoniam eripis expectantes
patienter, & conseruas ereptos ex manu hosti-
um. 12. Et alte extuli ab ira supplicationem
meam, & precatus sum vt liberarer à morte. 13.
Et inuocaui DOMINVM PATREM DOMI-
NI MEI: Ne desereret me in die afflictionis, &
tempore superborum, deficiente auxilio. 14.
Laudabo nomen tuum iugiter, & hymnum tibi
canam in confessione, & est exaudita precatio
mea. 15. Conseruasti enim nos ne interiremus,
& eripuisti me ex tempore malo. 16. Propte-
rea confitendo celebrabo & laudabo te, & bene-
dicendo celebrabo nomen tuum Domine. 17. Ad-
huc iunior ipse priusquam oberrarem, quæsiui sa-
pientiam manifeste in mea precatione. 18. De
hac petiui in templi conspectu, & vsque ad extre-
mum perquiram illam. 19. Tanquam de flore
maturescentis vuæ, lætatum est in ipsa cor meũ.
20. Incessit pes meus itinere recto, à iuuentute
vestigaui illam. 21. Parumper inclinaui aurem
meam, & accepi, & copiosam inueni sapientiam
mihi. 22. Progressio à me facta est in ea, qui tri-
buit mihi sapientiam, ei tribuam potentiam. 23.
Commentor enim elaborare illam, & æmulari bo-
num, & nunquam afficiar pudore. 24. Decerta-
uit in

uit in ipsa anima mea, & in effectione famis perquisiui. 25. Manus meas extendi in sublime, & perspexi quæ de illa ignorabam. 26. Animum meum direxi in eam, & per puritatem inueni ipsam. 27. Cum ipsa acquisiui cor ab initio, propterea nequaquam derelinquar, & cor meum commotum est quærendo eam. 28. Et ideo acquisiui facultatem bonam, tribuit mihi Dominus linguam, mercedem meam, & ea ipsa laudabo eum. 29. Accedite ad me inerudití, & diuertimini in domo disciplinæ. 30. Quare conctamini? Aut quid dicitis interea? Et vestræ animæ sitiunt valde. 31. Aperui os meum & locutus sum: Acquirite vobis absque argento. 32. Ceruicem vestram subter iugum supponite, & admittat anima vestra disciplinam. 33. Prope adest illa ad inueniendum. Cernitis oculis vestris me laborasse, & inueni mihi ipsi requietem copiosam. 34. Participate disciplinam in magno numero argenti, & multum auri in ipsa acquirite. 35. Lætetur anima vestra in misericordia ipsius, & ne pudeat vos laudationis eius. 36. Efficite opus vestrum præmature, & dabit mercedem vestram tempore suo.

Finis sapientiæ Iesu filij Sirach.

NOTATA

NOTATA QVAEDAM IN INTERPRETATIONE LIBRI SAPIENTIAE Iesu filij Sirach.

QVæ Græcum ſcriptum mihi interpretanti venere in mentem, de compluribus dubitanti & crebro hæſitanti, ea ipſa quoque exponenda duxi. In quibus ſi non fefellit me opinio, καὶ ἐτύχομεν τοῦ σκοποῦ, vt aiunt, proderit ſcilicet hæc opella aliquibus. Sin minus, id quod nos tentauimus, fortaſſe ab alijs melius atque præclarius efficietur, noſtro hoc conatu prouocatis. Aequum autem eſt voluntatem ſtudiumq; meum hac in parte boni conſuli ab omnibus. Et illi enim propoſitum fuit adiuuare intelligentiam rudiorum, & in hoc diligentiam adhibitam eſſe, res, quemadmodum ſpero, declarabit. Ea autem, quæ & de autore huius libri, & argumento, & alijs huc pertinentibus dicenda putauimus, ſunt expoſita ante Græci ſcripti expreſsionem.

IN CAP. I.

4. *Doctrina prudentiæ.*] σύνεσιν, quod nomen ſæpe extat in hoc libro, doctrinam, &

 συνετοὺς

συνετοὺς doctos sumus interpretati. Significatur autem græco & latino verbo, solertia studiosa, discendi experiendiq; vtilia ac bona. vt iste naturalis virtutis habitus docilitatis etiam nomine indicari posse videatur.

13. *Fundament. ætern.*] Sæculi, inquit, id est æternitatis, quod erit scilicet æternum fundamentum sapientiæ (quæ ipsa nimirum æterna est) incubauit apud homines. vt intelligatur sapientiam Dei æterni in hominibus habitare voluisse.

20. *Longanimus.*] Exprimitur ita græcum nomen interpretans Hebraicum, quo repressa festinatio significatur & patientia.

22. *Execrabilis.*] Peculiare nomen & verbum Hebræis interpretati sunt Græci, nomine βδελύγματος & verbo βδελύσσεσθαι, quibus indicatur horror in auersanda aliqua re fœda atque tetra. Abominationis vocabulo interpretes fere vsi fuerunt. Ad impietatem erga Deum quoque & cultum simulacrorum hoc vocabulum transtulerunt.

22. *Et valde placent ipsi.*] Inter singularia quoque vocabula sunt ea, quæ Græci interpretes litterarum sacrarum indicarunt nomine εὐδοκίας, & verbo εὐδοκεῖν. Significatur autem, bonæ existimationis propensio, &

sio, &

ſio, & fauoris beneuolentiæq́ inclinatio, & voluntas iudiciumq́ aliquid habens iucundum gratum, acceptum. Plæriq́ latini interpretes, beneplaciti nomen vſurparunt.

IN CAP. II.

1. *Tempore inductionis.*] Sæpe vſus eſt hoc nomine autor. idq́ Latino Græcum exprimente viſum eſt interpretari. Significatur autem certe Græco vocabulo, vnius rei ad alteram applicatio. Vnde & argumentationis cuiuſdam formæ hoc nomen factum. Et ab hoc autore ita indicatur cumulatio aduerſorum, & importatio incommodorum, & caſuum triſticia.

14. *Tolerantiam.*] Græcum eſt ὑπομονὴ. Quo patientia moræ in expectando ſignificatur.

IN CAP. III.

1. *Firmum ad fil.*] Græcum verbum eſt ἐστερέωσεν. Quo ſæpe eſt autor vſus, interpretans Hebraicum, ſignificans firmum aliquid & immotum atque conſtans.

6. *Benedictio enim patris.*] Græcis eſt εὐλογία interpretans inprimis eximium nomen

Hebraici ſermonis, cuius ſignificatio eſt laudationis & celebrationis. Eſt & verborum bonorum & orationis benignæ, quæ à Deo æterno efficaciſsima eſt, & in hominibus ſanctis ac Dei caritate prȩditis non parum momenti habet.

IN CAP. IIII.

1. *Mea progenies.*] Cum generalis ſit liberorum ſignificatio Græci nominis, τέκνον, interpretando etiam generali vocabulo vtendum putauimus.

13. *Sancti.*] ſicut Altiſsimi, ſiue excelſiſſimi, omnipotentis, fortis, & ſimilia epitheta, indicant Deum æternum κατ' ἐξοχήν.

18. *Iudicijs ſuis.*] δικαιώμασι. Et peculiaris & varius vſus eſt huius nominis in ſermone Eccleſiaſtico. Eſt autem nomen ductum à verbo δικαιῶσαι. Quo ſignificatur & inſontem aliquem pronuntiare & iuſtum de ſonte ſupplicium ſumere. Et ſunt δικαιώματα præcepta iuris atque legum, & ita appellantur defenſiones in iure: vt οὐδὲν δικαίωμα τῶν ὅπλων ἰσχυρότερον. Qui enim armis ſuperiores ſunt, eorum cauſſa melior putatur.

In

IN CAP. VI.

18. *Lapis explorationis acer.*] βάσανος iste est, quo aurifices explorant bonitatem auri & argenti, cuiusque indicio improba reijciuntur. Hæc est πέτρα λυδία. De nomine autem σοφίας quod ad Græcorum editionem notauimus, quosdam facere σοφίαν quasi ζοφίαν, de eo visum fuit modo addere Esse Hebraicum quoque nomen significans occulta atque tecta, sono Græco σοφίας affine, vt in Sophonia.

IN CAP. VII.

9. *Ne alliges iterum pecc.*] Ne alterum manipulum deuincias peccati, id est ne cumules peccata, & huc addi recte poterit prouerbium: ne bis ad eundem.
11. *Officium misericordiæ.*] ἐλεημοσύνη, quod sermo Germanorum retinuit ex Hebraico translatum est, significante affectionem & effectionem misericordiæ, id est animi, qui alterius incommodis & malis commouetur ac dolet. Quæ inhumanitati Stoicæ perturbatio vitiosa est.
31. *Munus brachiorum.*] βραχίονα δεξιὸν καὶ στηθύνιον, auferebant sacrificantes. pectusculum & armum legimus in libris Latinis.

IN CAP. VIII.

2. *Statuat aduerſus te libram.*] ὁλκὴν. Hoc eſt pondus libræ. Id dicitur igitur: Ne deprimaris illo præpendente.

IN CAP. IX.

1. *Ne æmulare mulieri ſin.*] Mulier ſinus eſt vxor περιφραστικῶς. ζηλοῦν autem ſignificationem habet ardoris atque vehementis incitationis in vtramque partem, id eſt pro & contra. vt & defenſionis admirationiſque, & inuidiæ & inimicitiarum acrimonia & flagrantia verbo indicetur. Atque hoc nunc dici videtur: Non eſſe debere affectionem erga vxorem eam, quæ nimium illi tribuat. Ne libido eo euadat, vt vxor fiat mariti Domina.

IN CAP. X.

6. *De vtroq; exiſtit pecc.*] de ſuperbia ſcilicet, & petulantia. Quemadmodum opinor.
17. *Creata ſuperbia.*] id eſt à natura hominis eſt res aliena.
22. *Ante ſortem princ.*] id eſt, timor Domini eſt principatus, antequam magiſtratus

tus mandetur, vel ſorte obueniat. Principatus igitur eſt timentium Deum, id eſt, pie & religioſe colentium, & eripitur præfractis ac ſuperbis, qui ſunt contemtores Dei, & religionis veritatem non curant.

IN CAP. XI.

15. *Cum peccatoribus cr. ſunt.*] τὸ κακὸν παρέκβασις, οὐκ ἄρα ἐν τῇ κτίσει Hoc igitur dicitur: In peccatoribus hærere & ad hos pertinere errorem & caliginẽ, & eſt Socratica diſputatio, vitia, eſſe ignorationis & inſcitiæ, ſicut virtutes, ſapientiæ.

17. *Et hæc ipſa pars.*] Id eſt, hoc euenit & paratur labore eius, & iſta merces rependitur, vt diues & locuples ſit.

19. *In tuo pacto.*] διαθήκη quid ſignificet alias dictum eſt. Pactum autem piorum cum Deo ſcilicet eſt, vt religioſe eum colentes fideliter ei obœdiamus perſeuerantes in ſtudio pietatis & virtutis.

22. Hæc ſententia diffidentiam prohibet. Et ſequens eam. 23. ſecuritatem peruerſam.

30. *Suis partibus.*] Id eſt factioni ſuæ.

33. *Externum admittas.*] εἰρωνικῶς.

IN CAP. XIII.

15. *Omnis caro.*] Nota eſt Hebraica phraſis, qua mentione carnis & ſanguinis viuentia corpora ſignificantur.

IN CAP. XIIII.

3. *Inuido.*] & 6. *Qui ſibi inuidet.*] βάσκανος eſt, qui inuidendo nocet. & verbum βασκαίνω. Sunt & Latini nomine faſcini vſi. Atque ſignificatur nunc, is, qui neque ſibi neque alteri bene eſſe patitur. Inuidere etiam bona, id eſt improbis oculis intuendo lædere, dixere. vt: florem quis liberum inuidit meum, apud Ciceronem.

7. *Deſpicit animas.*] negligit vitam, id eſt iniquus eſt erga vitam humanam.

13. *Sanctifica animam.*] Auge vitam tuam tanquam fructibus ſacrificiorum. Sanctificari enim dixere ea, quæ integra & pura ritu religioſo offerebantur Deo.

IN CAP. XV.

13. *Si voles cuſtod. mand.*] Doctrina iſta eſt obœdientiæ, prohibens negligentiam & incuriam vel etiam oſcitantiam in profitentibus vere religionis ſtudium.

IN CAP. XVI.

17. *Extitit & exiſtet.*] Id eſt, creatus eſt, & conſeruatur rerum propagatione.

IN CAP. XVII.

11 *Et nomen ſanctitatis.*] Nomen ſanctum, id eſt, maieſtatem & gloriam ſanctiſsimi nominis eius.

22. *Partitur pœnitentiam.*] Docet illos conuerti ad Deum, & diſtribuit huius diſciplinæ inter ſuos beneficium.

29. *Hominis filius.*] id eſt humana ſoboles.

IN CAP. XVIII.

7. *Cuius rationes ſubd.*] Valde obſcura eſt ſententia huius loci. Videtur hoc intelligi poſſe quod ita verbis efferretur: ἐν ἀλογίςῳ ἔτους ἑκάςου. id eſt, ſic tranſire ætatem vt nullius anni ratio explicari poſsit, & ad æternitatem euaneſcere temporis vniuerſi longitudinem.

22. *In auerſione vult.*] Videtur hoc dici: Ne morte quidem effugi meritas pœnas, niſi prouideatur.

26. *Largietur confeſſ.*] Id eſt, tribuet & conciliabit gloriam atque celebritatem nominis. Græci ἐξομολογήσεως nomine & verbo

ἐξομολογεῖσθαι, id interpretati ſunt, quod Hebræis ſignificat prædicationem & celebrationem laudis, conſentiente ore & pectore, in cœtu potiſsimum ſolenni, & conuentu publico.

28. *Cor mortuum mort. adh.*] hoc dicere videtur αἰτιολογικῶς, quod ſeruilia omnia iaceant expertia omnis confidentiæ, & obmuteſcendum eſſe ſeruo coram Domino, pauenti atque vecordi.

IN CAP. XIX.

8 *Ne detegas.*] In breuitate, vt plæraque, etiam hæc obſcura ſunt. Puto hoc ſignificari: Si tu innocens es, ne prodas alterius peccata.

10. *Conuicia ſtulti.*] Editum eſt ὀνειδίσει, ſed alicubi legitur ὠδινήσει, vt hoc dicatur: orationis partus excruciat ſtultum, ſicut infantis enitentem.

IN CAP. XX.

2. *In hac vita iud. fac.*] omnino puto procliuitatem prohiberi τῶν φιλοκρινούντων. Quorum ſemper improba & , vt ita loquar, libidinoſa eſt cupiditas, etiam ſine effectu.

21. *Non compungitur.*] Non ſentit morſus peccati animo conſcio.
23. *Per veeecundiam.*] Quia ſcilicet veretur ne ceſſando inofficioſus eſſe videatur.
32. *Nullius domin. ſubiect. ag.*] Id eſt effrenatus & vagus in nimia libertate. Pertinetq; hoc ad apoſtolicum præceptum: Ne quod vultis, id faciatis. Suo enim quemque arbitrio in degenda vita relinqui res periculoſiſsima eſt, vel potius nocentiſsima, cum iſto pacto omnis diſciplina euertatur.

EX CAP. XXI.

5. *Ad aures vſque ipſius.*] Vel, ipſius Domini, id eſt Dei æterni. Vel, quam celeriter ex ore precantis ad aures eius vox peruenit, tam cito fertur iudicij ſententia.
18. *Cogitabunt corde ſuo.*] id eſt, quærent ſecum quid dictum ſit, cum nihil intellexerint.
19. *In pedib. dementibus.*] μετωνυμικῶς, in pedib. dementis. Metaphora autem videtur indicare: Cohercere diſciplinam quaſi excurſum ſtulticiæ tanquam vinculis iniectis exultanti dementiæ.
22 *Afficietur ibi pudore.*] id eſt accedet illo verecunde.

In

IN CAP. XXII.

4. *Dolorem affert.*] εἰς λύπην] ſcilicet ὅτιν ὃ προχωρεῖ.

20. *In pariete terſo Xyſti.*] Hæc ita coniunctim ponere eſt viſum. Poteſt autem eſſe τοῖχος ξυςὸς, paries politus. Poteſt etiam eſſe τοῖχος ξυςοῦ, quo nomine certum genus quoddam porticus vocarunt.

28. *Species & app.*] περιγραφῆς hoc loco nomen peculiari ſignificatione poſitum eſt, quod communiter ſignificat circumſcriptionem & definitionem.

IN CAP. XXIII.

1. *In conſilio ipſorum.*] vel ἐμφατικῶς ſignificantur impij, qui ſunt ſemper hoſtes piorum, vel notantur ea, quorum deinceps fit mentio.

2. *Non parcas tu Domino.*] Mirifica phraſis eſt & fortaſſe hoc dicitur: μὴ φείσῃ σὺ παρὰ κυρίου, ſiquidem vera ſcriptura edita eſt. Atque venit in mentem hæc conſideranti, id quod legitur γενέσεως XIX. καὶ κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ σόδομα καὶ γόμορρα θεῖον καὶ πῦρ παρὰ κυρίου, Sed relinquantur hæc ſtudio attentionis diligentioris.

7. *In ipſis.*] Vel, inter ſeipſos: vel in ijs ipſis

ipsis quæ designant.

9. *Et nominat.*] ἀποσιώπησις religiosa. Deest enim sanctum, id est Deum æternum.

19. *Duo genera*] id est, iteratio peccati, vel peccatum peccato duplicatum.

22. *Donec moriatur.*] id est, ruit in flagitijs vsque ad mortem.

IN CAP. XXIIII.

19 *Iis quæ ab illo dic.*] *Ab* æterno scilicet Deo. Id est, quemadmodum opinor: procreo auditores perpetuos verbi diuini. Sunt autem ista admodum obscura, & in alijs libris omissa.

21. *Mel Domini.*] id est diuinum mel, ὑπερβολικῶς. Nisi simpliciter, supra fauum mellis, id est, ὑπὲρ μέλιτος κηρίον, verius est.

27. *Nouæ arationis.*] Vel, nouorum dierum, id est anni noui, vel nouorum fructuum, vel, nouarum frugum. Hoc autem indicium est temporis verni.

IN CAP. XXV.

1. *De concordia fratr.*] Græce ἀκαταλλήλως ista exponuntur & ἐλλειπτικῶς, quemadmodum in hoc libello plurima.

11. *Omnem plagam & non.*] ἐλλειπτικὰ sunt hæc

hæc quoque. Puto recte extrinsecus assumi posse, κατανόει καὶ προμελέτα, id est, considera & præmeditare.
27 *Exeundi.*] Festiua πλοκὴ est in vocabulo ἐξόδου. Nam & aquæ fluxionis via διέξοδος est, & egreßiones liberæ ἔξοδοι sunt.

IN CAP. XXVI.

1 *Cor autem t. p. quam d. bonum.*] κατὰ σύνθεσιν, tam pauper quam diues recto corde, id est religiose erga Deum affecti.
9 *Inuerecunda.*] Sicut postea, γυνὴ ἀδιάτρεπτος, id est, quæ nullo pudore à flagitio auertitur. Alibi tamen legitur, ἀδιατρέπτως, id est, constanter obfirma custodiam.
20 *Exquisita parte fert.*] Perquirito, inquit, quæ pars soli tui fertilis sit, & ita mandes terræ semen. Est autem cohortatio hæc ad honestas nuptias iungendas.
29 *Cuiusquè autem hom. consimilis his.*] Qui consuetudine & moribus vtitur commemoratis. Locus est valde obscurus. Est autem verbo vsus significante diurni victus & cultus rationem. vt hoc dici aliquis suspicari poßit: Talem animum hominis, id est, talem hominem eum futurum esse, qui degat vitam cotidianam turbulentam & infestam, tanquam inter terrores impreßio-

preſsionum hoſtilium. Erit autem τὴν ψυχὴν, vſitata ellipſi, κατὰ τὴν ψυχήν.

IN CAP. XXVII.

1 *Propter media.*] Bona fortunæ atque adeo corporis ſic vocat, quibus homines bene & male vti poſſunt.

7 *Ante cogitationem.*] id eſt, ante cognitum animi habitum, qui oratione indicatur. Eſt enim λογισμὸς quaſi concluſio cogitationis & rationis.

13 *In laſciuia peccati.*] Eorum qui delicias faciunt ruendo in peccatis, Paulo apoſtolo eſt, vidua σπαταλῶσα laſciua atque procax.

18 *Proximum ſuum.*] vſitato modo loquendi ſumus interpretati Græca, quibus alter quiuis homo ſignificatur.

23 *Non eſt ſimilitudo.*] Id eſt, odium aliorum non eſt ſimile huic odio, vt iſtud præcipuum & ſummum eſſe odium intelligi velit, & non comparandum cum altero vllo.

24 *Vulnus dirimit.*] id eſt ſauciat. Ictus enim integra diuidendo vulnerat.

29 *Peccatoris vis val.*] ἐγκρατὴς ἔσαι αὐτῆς, In ſignificatione violentæ excercitationis. In peccatoris, inquit, iſta manu ſunt, Id eſt

eſt, in his ille potens eſt, & valet viribus, vt intelligatur improbos vehementer & grauiter commoueri. In Græci autem ſermonis vſu ἐγκρατὴς nomen laudis eſt. Similiter tamen propemodum in politicorum Ariſtotelis γ′ dicitur: ἐπεὶ θᾶττον ἐγκρατῶς εἶχον τὴν ἀρχὴν: vbi primum imperio potiti habuere rem in manu.

IN CAP. XXVIII.

15 *In diuerſas gentes.*] ex vna gente extorres agit in aliam.
19 *Peremti gladio.*] Græca ſunt: ἐν στόματι μαχαίρας, id eſt: in ore gladij noto hebraiſmo, Sicut mox 20. *Ne hanc experiretur.*] Græca ſimiliter ἐβραΐζοντα ſunt ἀπὸ προσώπου αὐτῆς, à facie eius. Qua ſermonis præſentia ſignificatur.
25 *Deum æternum.*] τὸν κύριον. Sic enim Græci interpretes conuerterunt Hebraicum nomen Deum verum indicans.
27 *Deuinctum.*] Cuſtodias inquit, obſignatas pecunias. Cum quidem venire alicui in mentem poſsit, exaraſſe ſcribam pro κατάστικτον καταδήκτον, quo & ipſo ſignificaretur trutinæ examen.

IN CAP. XXIX.

4 *Inue-*

4 *inueniſſe ſe aliquid.*] id eſt, lucrum feciſſe. Quæ etiam Græci ſermonis figura eſt.
10 *Extrahas.*] ſit in promtu affectio & opus miſericordiæ tuæ etiam erga hunc, μὴ παρελκύσῃς αὐτὸν, δηλονότι τὸν ταπεινωθέντα. vel, poſt beneficium miſericordiæ ne vrgeas eum corripiendo, ſicut faciunt, qui mutuum inhumaniter & acerbe repetunt.
16 *In probro.*] αἰσχύνην, id eſt, dedecus & probrum μετωνυμικῶς.
20 *In itinere recto.*] Rebus ſecundis & bene procedentibus.
22 *Operarum conductiones.*] id eſt, implicans ſe negotijs multis atque varijs, μεταφορικῶς.
30 *à facie gloriæ.*] diſcedito ab aliorum ſplendida præſentia.

IN CAP. XXX.

Flagella inf. perennia.] vel continua. Eſt enim ἐνδελεχὲς, perenne, continuum, perpetuum. vt ἐνδελέχεια fluxio continuata, & motio perennis. Sacrificium perpetuum quod bis die quoque fieret, ἐνδελεχὲς & ἐνδελεχισμὸν appellarunt Græci, Latini Iuge. Et verbo ἐνδελεχίσαι hic autor crebro eſt vſus.
7 *Ad omnes clamores perturb.*] id eſt, omnes

increpantis vociferationes mouebunt deinde animum eius.

8 *Filius vagus.*] Per indulgentiam ſcilicet & negligentiam diſciplinæ.

10 *Compingas dentes.*] id eſt, συγκρούσης τοὺς γομφίους, nimirum per indignationem. verbo διαθέσεως mediæ. vel, ipſe derideat te, albis dentibus, vt ait Comicus, ἐνεργητικῇ διαθέσει.

15 *Verberando affl.*] μεταφορικῶς de morbis, quorum afflictiones plagas dixere Hebræi.

21 *Qui oc. aſp. & ingemiſcit.*] Ingemiſcens deſiderio eius quod videt, & quo nequit potiri.

24 *Et ne aduoces cor tuum.*] id eſt, ne irrites cor tuum, aut ne negotium faceſſas animo tuo. neue commoueas affectiones ſeu perturbationes, dictum ἀκύρως. Et in aliquibus libris omiſſum fuit. μή. vt hoc ſimpliciter diceretur, conſolare cor tuum.

IN CAP. XXXI.

7 *Iis qui illi ſacra fac.*] Qui colunt tanquam numen diuinum diuitias, id eſt, eis freti ſunt, his eſt aurum materia offenſionũ, id eſt, vt crebro offendant in currendo.

12 *Publicus cœtus.*] ἐκκλησία & συναγωγὴ multi-

multitudinem congregatam ſignificat. In priore eſt ſignificatio cœtus euocati. Interpretando ſum vſus, cœtus, congregationis & concionis nominibus. Eccleſiæ autem nomen eximium & peculiare factum eſt Chriſtianæ congregationis ſeu cœtus fidelis CHRISTO IESV.

16 *Neu colliditor cum eo.*] Præcepta ſunt verecundiæ & decori in capiendo cibo. Ne inijcias, inquit, ſtatim manum ijs, quæ blandiuntur oculis, neu verrito cibum in patina ſecundum oculorum aſpectum.

17 *Alterius ingenium.*] vel, generaliter, alterius res omnes.

20 *Quod mod. eſt id ſat. eſt.*] Secundum Græcorum ſententiam expoſitam in ſecundo τῶν στρωματέων Clementiſs. ὁ σπουδαῖος ὀλιγογενής.

21. *Somnus ſan.*] vel eſt ſopitus poſt cibum, quem moderate cepit, μετωνυμικῶς. vel ſunt ἐλλειπτικὰ hæc, vt hoc dicatur, ſomnus ventris temperantis eſt ſalubris. Et ita con ſopitus mane ſurgit animo præſente & integris ſenſibus.

22 *Cholera.*] Morbus eſt hic acer & vehemens & inter ſæuos cruciatus mortifer, incidere autem ait in graues morbos, voraces, & qui in ſe cibos iniurgitant neque ſaturantur.

24 *Inuenies ſerm.*] id eſt, extabit lucrum ſermonum meorum.

26 *Splendidum in panibus.*] De lauticia epularum hoc dicitur, συνεκδοχικῶς conſuetudine ſermonis Hebraici.

31 *Comparatum eſt.*] ἔκτισαι, creatum eſt, ad hilaritatem & gaudium, ſecundum veteris cuiuſdam poëtæ verſus vinum:

τοῖς μὲν μέτριον πίνουσι καὶ κεκραμένον
εὐθυμίαν φέρει γ' ἐὰν δ' ὑπερβάλλῃς, ὕβριν.

Et Panyaſis ita, referente Athenæo libro ſecundo:

πάσας δ' ἐκ κραδίης ἀνίας ἀνδρῶν ἀλαπάζει
πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπὲρ μέτρον δὲ χερείων.

IN CAP. XXXII.

3 *Et impedies cantica.*] id eſt, ſtudioſius & attentius audietur talis oratio, quam ſoni Muſici.

8 *Explicans paucis multa.*] Hæc eſt ſententia Græcorum verborum, in quibus eſt ἔλλειψις.

11 *Ne apud poſtr. cures.*] οὐράγει. verbum hoc militare eſt. Ne ſis, inquit, quaſi caput poſtremo de ſomno ſurgentium.

13 *Mane excitantur.*] ita diligentia indicatur.

15 *Inuenient iudicium.*] ſententiam in iudicio

cio defendentem innocentiam ipſorum, id eſt, defendentur ab iniuria & erunt cauſſa ſuperiores.

16 *Inuenit concinnitatem.*] σύγκριμα, id proprie eſt, quod miſcendo aut concinnando vnum fit. vt in corpore viuo σύγκριμα dicitur eſſe τῶν στοιχείων, id eſt, miſta & confuſa eſſe elementa. Ita improbi reperiunt, inquit, quo pacto concinnent omnia ad voluntatem ſuam. fuere qui comparationem ſignificari putarent, & ſententiam exponerent horum verborum: Improbos & malos exemplis tueri ſe & defendere facinora ſua.

18 *Et ne pœnit. t. f.*] Indicandum putaui iſto loco verſum qui Epicharmi perhibetur ſimilis ſententiæ:

οὐ μετανοεῖν ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν.

Prouidere, baud pœnitere ſapientem decet virum.

20 *Viæ experti off.*] Contra ſecuritatem peruerſam hæc præcipiuntur. In quibuſdam tamen libris ἐυπροσκόπτῳ ſcriptum legitur.

21 *Confide animo tuo.*] id eſt, animus ſit tranquillus & acquieſcat in fiducia bonæ conſcientiæ.

IN CAP. XXXIII.

2 *In multorum ventorum proc.*] ἐλλειπτικῶς, vt desit, ἀνέμων, & intelligatur procella vehemens atque sæua.

4 *Et ita audiaris.*] id est, tum demum loquere, cum instructus es cogitando.

10 *Et mutauit vias ipsorum.*] id est, fecit vt essent diuersa genera vitæ & dissimilia studia.

13 *Cuius omnes viæ sequuntur.*] id est, procedit opus de sententia & voluntate eius.

21 *Permutes te.*] Contrahendarum rerum vocabulum est, vt videatur hoc dici: Ne vendas libertatem tuam, quo minus te ipsum & tua habeas in potestate.

25 *Et disciplina & opera.*] παιδεία & hoc loco & alibi sæpe castigationem significat. Et trium facit mentionem Aristoteles quæ ad seruos pertineant: ἔργου, κολάσεως, τροφῆς, id est, operum quæ ab eis fiant, & castigationis, si sint negligentes aut improbi, & nutrimenti, qui est victus tanquam merces operum. Id quod ante quoque indicauimus, cum Græca ederentur.

30. *Et ne sis vlli carni superfl.*] id est, ne vlli homini nimium tribuas. Aut, ne nimium alicui grauis sis. Aut, ne negligens sis alicuius. τῶν γὰρ πολλαχῶς λεγομένων, ἡ περισσὸν λέξις

In cap.

IN CAP. XXXIIII.

Pennas addunt impr.] id eſt, efferunt animis, prouerbij figura, ſecundum quam fabula Ariſtophanis ὄρνιθες effiċta eſt. Et in Bacchis Euripidis πέτεσθαι, de ſtolida & inani exultatione ponitur:

νῦν γὰρ πέτηταί, καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖς.

3 *Iſtud ad iſtud.*] ita indicatur ſimilitudo, vt hoc dicatur: Eſſe ſomnia ſimulacra & effigies.

8 *Abſque mendacio.*] id eſt, in veritate, quæ etiam ſapientiæ perfectio eſt.

9 *Qui errauit is cogn.*] & mox 10. *Qui vero errauit.*] Græcum participium πεπλανημένος, ſignificat & eum qui peregrinando oberrauit, qui eſt πλαγχθείς. & qui errore deceptus eſt, id eſt, ἠπατημένος, fertur aut Græcus verſus:

πολλὰ πλανηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν.

Quo putarunt aliqui hoc dici: Quod eum qui bonus, id eſt, præclarus eſſe cuperet, vagari paſsim, & multa loca obire oporteret. Sed Plutarchus in libello περὶ τοῦ ἀκούειν, ſublata ambiguitate ita retulit verſum iſtum:

πολλ᾽ ἀπατηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν.

Vt plane ſignificetur deceptio erroris. Experiundo autem aliquem falli, & co-

nantes frustrari euentum sæpe solere, constat.

12 *Et horum gratia.*] sermonum doctorum beneficio.

16 *Propugnatio hæc potent.*] Potens protegendo defensio & stabile robur.

18 *Extollens in sublime.*] assumendum extrinsecus, ὁ κύριος, id est, Deus æternus is est, qui alte extollit, & cætera.

20 *De peccato.*] ἁμαρτίας, vsitata ἔλλειψις τοῦ ἕνεκα. vel deest περὶ. Erat autẽ inter diuinitus mandata sacrificium vnum περὶ ἁμαρτίας.

22 *Vir est sanguinum.*] id est, crudelis & pollutus sanguine, atque homicida.

IN CAP. XXXV.

2 *De salutari.*] σωτηρίου. Et erat θυσία σωτηρίου inter mandata diuinitus sacrificia. Latine hostiam pacificorum appellarunt.

4 *Omnia enim ista gratia mandati.*] ἐλλειπτικῶς, fieri scilicet præstariq; oportet.

6 *Et memoria.*] μνημόσυνον, quo memoria permanet & conseruatur.

7 *Cum oculo bono.*] id est, hilari & læto vultu, vt intelligatur animo respondere vultum debere.

8 *Sanctifica decimam.*] Partem decimam, id est, sancta & integra promtæ voluntatis

tatis ſit oblatio decimarum.

9 *Inuentionem manuum tuarum.*] vel, quod ad manus erit. vel, quod manus tuæ parauerint.

10 *Perſonam de paupere.*] id eſt, non ſpectabit perſonam in negotio pauperis, quo minus hunc ſubleuet.

14 *Bono animo.*] ἐν εὐδοκίᾳ. De quo nomine dictum eſt. Sententia huius loci eſt: vel, qui Deum colit ex animo & tota mente & voluntate propenſa. vel, qui veneratur Deum cultu ipſi placente & grato.

15 *Neque admittit conſ.*] id eſt, non ceſſat neque acquieſcit, donec impetret.

17 *Gentibus retribuet vltionem.*] id eſt, gentes vlciſcetur vicem afflictorum.

21 *Opportuna res.*] ὡραῖον. Quo nomine & ſpecies venuſtatis ſignificatur, & maturitas temporis ſui.

IN CAP. XXXVI.

4 *Permutato mirab.*] Permutato, noua ſcilicet cum antiquis. nam ad priſcorum miraculorum conſiderationem iſta pertinent.

6 *Suſtollito controuerſ.*] id eſt, alte extollito, vt grauiter affligas. vehementius enim impinguntur alte ſublata.

8 *Qui conſeruantur.*] id eſt, ſerior pœna & diutius dilata, grauior ſit.

9 *Nemo eſt, niſi nos.*] Vox ſuperbiæ atq; deſpicientiæ, neque Deum neque homines reuerentis.

13 *Repleto Sion.*] ἐλλειπτικῶς, nimirum bonis, virtute, viribus, potentia, aut ſimilibus.

14 *Dato teſtimonium.*] id eſt, fac teſtatum ſit & conſtet, hæc abs te creata eſſe.

16 *Quod tu ſis Dominus ſæculorum.*] id eſt, Deus æternus, quemadmodum antea quoque dictum eſt.

18 *Fauces guſtant cibum ven.*] id eſt, guſtatu diſcernunt, cuius feræ hic aut ille cibus ſit.

19 *Retribuit ei.*] αὐτῷ δηλονότι τῷ λυπήσαντι, id eſt, autori triſtitiæ ſuæ referens par pari.

20 *Quemuis marem mul.*] ἐναντίωσις λείπει. vt tale quippiam dicatur: In ſexu virili non ſolere haberi admodum delectum, & admitti quemuis virum, In muliebrem autem ſexum inquiri diligenter, quod facile vna filia alteri præferatur. Ita hoc ſcilicet ſignificabitur: Mares facile vxores inuenire, ſed non item virgines maritos. De quibus conſiderationes ſoleant eſſe accuratæ: Quæ cui præferenda eſſe videatur.

22 *Quales sunt filij homin.*] id est, cæteri homines. vt intelligi debeat fortunam eius eximiam esse.

23 *Auxiliatricem sec. se.*] vxorem scilicet habiturus auxiliatricem: Appositionis figura.

25 *Labascenti.*] σφαλλομένῳ, qui nullo in loco est in tuto, neque vspiam certam sedem habet.

IN CAP. XXXVII.

3 *Vt tegeres aridam.*] Compleres terram Hebraica est ἀντωνομασία.

6 *Torue intuente te.*] ὑποβλεπομένου, aspectus auersantium, & male de aliquo sentientum vsus est Plato in Critone, & Lucianus Lapithis hoc verbo.

7 *Ad seipsum.*] id est, respiciens ad se ipsum & suis commodis consulens.

12 *Cum muliere de riu.*] Repetendum est; Ne consultes positum κοινῶς.

23 *Quam septem speculat.*] ἢ ἑπτὰ, ἐλλείψει, τοῦ μᾶλλον. vt, βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

26 *Vestigium mutationis.*] μεταφορικῶς, signũ & indicium mutati animi.

40 *Apponet vitam.*] id est, producet vitam, seu efficiet vt vita augeatur.

In cap.

IN CAP. XXXVIII.

5 *Robur eius.*] nimirum Domini, id eſt, Dei æterni & omnipotentis. hiſtoria autem legitur Exodi 15. Et mox 8. Opera eius, ſimiliter aſſumetur extrinſecus, Dei æterni.

8 *Supra faciem terræ.*] id eſt, quies eſt, & proſperitas rebus ſaluis & incolumibus hominibus, ab æterno Deo quam late patet orbis terrarum.

9 *Peruertito oculos.*] huc illuc praue reſpicito. Et mox. 10. *Dirigito manum tuam.*] facito ſint actiones rectæ & honeſtæ. ſicut & ambulandi metaphora de illa via, quam ingrediuntur in terris viuentes, Hebræi vſi ſunt.

11 *Tanquam non extes.*] id eſt, quaſi iam ſuperſtes eſſe deſieris & de te actum ſit.

13 *Sit bonus odor.*] Hoc dici videtur: Interdum medicos pro ægroto venerari & implorare Deum, vt reſtituta illi ſanitate, curatio ipſis proſit.

20 *In inductione per.*] Vel hoc dicitur: non abeſſe triſtitiam in aduerſis quæ inducantur, id eſt, immittantur. vel, intendendo cogitationem, triſticiam, perdurare. paulo autem poſt: *Cordis eſt execratio.*] id eſt, execrabilis toto pectore.

25 *Qui negotio ſuo deminuitur.*] id eſt, qui opprimitur alienis actionibus, & cuius ſocium occupationes deterunt, quemadmodum opificum qui manibus victum quærunt, & ideo à Græcis χειρῶται καὶ χειροτέχναι nominantur.

37 *Et numeroſa eſt.*] ἐναρίθμιος, id eſt, ἐμμελής. Ad conuerſionem concinnam rotæ figularis alluſit.

41 *Non erunt aliorum vicini.*] vel hoc dicitur: Non cogentur exulare commigrando alibi, id quod opulentis & primarijs interdum euenit. vel, hoc potius, certis in vicis habitabunt tales, neque ocioſi vagabuntur. Quod & officinæ ſua loca aſsignata ſint, & manibus victum quærentes, occupari operum ſuorum laboribus oporteat.

44 *Non inuenientur in parabolis.*] ἐνηλλαγμένως, non inuenientur in his parabolæ, id eſt, præcepta doctrinæ.

46 *Excepto eo, qui intend.*] ἐλλειπτικῶς, Eximiam conditionem ait eſſe τοῦ γραμματέως, vt ſupra appellauit peritum litterarum & ſtudioſum ſcripturæ ſacræ, quicquid dicatur de alijs.

IN CAP. XXXIX.

5 *In alienarum gent. ter. tr.*] id eſt, apud exter-

externos tuta erunt itinera eius.
9 *Hic eff. imbr.*] Deus æternus ipſum religioſe colentibus largitur facultatem & copiam profluentis ex ipſis ſapientiæ.
15 *Inſerit ſibi.*] ἐμποιεῖ, facit vt ſe extet etiam mortuo celebritas nominis.
17 *Apud riuũ humidũ.*] vel, apud fluxionem humidi. Qui erit riuus, ſeu aqua defluens.
22 *Quid eſt iſtud.*] nimirum quod imperauit Deus, id eſt, τὸ πρόσταγμα, & qualis euentus eſt futurus mandati?
24 *Salutare eius.*] τὸ σωτήριον, ſalutis & incolumitatis omnis effectionem & opus.
35 *Qui autor eſt, ſedabunt.*] Iſto verbo ſimiliter actionis ſignificatione poſtea autor vtitur. Poſſet tamen ita quoque accipi: κατάξουσι κατὰ τὸν θυμὸν, id eſt, ſecundum excandeſcentiam. Sed quid eſt ποιήσαντος αὐτόν; Alicubi ſcribitur αὐτοὺς, quod ideo videtur ab aliquo mutatum non poſitum ab autore libri, quia ad πνεύματα non congruit. Vel hoc igitur dici ſuſpicari licet: ſedabũt ipſam illam excandeſcentiam creatoris ſui. Vel, eius excandeſcentiam, qui illius autor eſt, id eſt, à quo illa proficiſcitur.
38 *Ortu ipſius læt.*] id eſt, efficacitate eius exultabunt, & ad munera mandata exequenda erunt in promtu. Nam & χρείας alicubi non χεῖρας legitur, & non ἀνατολῇ, ſed

ἐντολῇ,

ἐντολῇ, quod esset simplicius.

IN CAP. XL.

3 *Post diuersas cogit.*] ἐλλειπτικῶς, vt desit μετά. Et congruunt cum his Horatiana:
Inter spemq; metumq; & curas inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
6 *Simulacrum.*] Expressa species imitando. sed alibi μνήμα.
7 *Tanquam in dieb. speculæ.*] id est, in dubia & turbulenta ac solicita quiete, qualis est collocatorum in specula quapiam, & facies belli, est, conspectus hostium.
13 *Omnis largitio & iniust.*] ἓν διὰ δυοῖν. id est, omnis largitio iniusta, & munerum corruptela. Sicut: Molemq; & montes, id est, molem montium.
15 *Dum manus aperit.*] Seu pandit, id est, dum largitione acquirit gratiam aliorum. Est enim certe, manum aperire, Hebræis, munificum esse. Vel hoc dicitur: Dum pandit manus ad accipiendum. Vel, tantillo momento lætabitur, quo manus pandi solet, vt intelligatur læticiam impij esse breuem & euanescentem. & mox 16. *Progenies.*] ἔκγονα. legitur alibi ἔγγονα, id est, nepotes seu posteri.
19 *Vltra vtràque.*] Si nihil deest, ἀκυρολογία in his est. Hoc enim indicari videtur, rem

non par

non partam labore, ſed oblatam fortuita proſperitate optatiorem eſſe cæteris emolumentis. Nam quo proprie referas ἀμφότερα hoc loco non extat. Alios autem & hoc loco aliud vel legiſſe vel intellexiſſe, apparet.

24 *Amic. & ſod. occ.*] In Græcis hoc loco multa exponuntur ἐλλειπτικῶς. Significatur autem iſta eſſe præclara illa quidem, ſed ſuperari tamen commoditate ab alijs.

28 *Vt ſibi aliquis auxil. qu.*] ἐλλειπτικῶς, aliud ſcilicet, aut aliunde. paulo ante autem, deminutio, ἐλάττωσις, detrimentum eſt.

29 *Operuit eum.*] Omni gloria oppleuit eum, in quo ſcilicet eſt, αὐτόν τινα.

31 *Non habet victum in ratione vitæ.*] non ſubducit rationem rerum ad vitam neceſſariarum. vel, non ita viuit, vt rationem vitæ ineat.

IN CAP. XLI.

4 *Qui amiſit patientiam.*] Qui redactus eſt ad vltimam deſperationem.

18 *Sapientia occ. & Theſ.*] Si occultetur ſapientia, & non appareat Theſaurus, nihil habet commoditatis vtraque res.

20 *Verecund. comm.*] aliquis ſcilicet iſta audiens, aut legens.

28 *Defixionis cubiti ſupra pa.*] Vel prohibetur indecorus geſtus in menſa dum cibus capitur. vel hoc fortaſſe innuitur: μὴ ἐπὶ χοίνικος καθῆσθαι, συμβολικῶς.

32 *Hominis generoſi.*] Si talis te auerſetur. Id quod merito leuitatis aut futilitatis accidere ſolet. Sed legitur in quibuſdam libris, non εὐγενοῦς ſed συγγενοῦς. Ita fuerit ſententia: Pudeat te auerſi vultus tui à cognato tuo.

33 *Ablatæ par. & don.*] id eſt, ſi auferas rurſum, quod dediſti.

IN CAP. XLII.

Et iterationis & ſerm.] ἓν διὰ δύο, pudeat iterati ſermonis ad auditum, id eſt, vt offendantur aures alicuius loquacitate tua.

13 *Obſignari mulier.*] id eſt, accurate cuſtodiri, vt ea ſolent, quibus ſignum annuli imprimitur.

21 *Ignominioſus in populo.*] id eſt, celebris crimine & famoſus. Eſt autem ſignificatio ἐκκλήτου propria euocati, id eſt, ſubito accerſiti ad conſilium. & erat magiſtratus τῶν ἐκκλήτων olim Spartæ, quod nomen & in Oreſte Euripidis extat. Sed nunc quid aliud autor ſignificare voluerit, quam quod interpretati ſumus, non video. & poſtea, 24. γνώμη eſt ὑπερβολική.

30 *Abyssum & cor peruest.*] id est, perscrutatur profunda cordis, ἐν δίσ. Nam cor hominis inscrutabile est, alteri nimirum homini.

31 *Signa sæculi.*] id est, omnis æternitas designata est coram ipso & exposita oculis eius.

IN CAP. XLIII.

Superbientis sublimis.] ὕψους. Est autem hoc, celum. Vt in versu Tragico:

ὁρᾷς τὸν δ' ὕψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα.

Ex quo Ennius fecit: Sublime candens.

2 *Perferens nun. glor.*] ἐν ἐνδόξῳ. præclarum & speciosum ait esse aspectum solis nuntij lucis diurnæ. Sed alibi scribitur, ἐν ἐξόδῳ, quo indicaretur ortus solis.

6 *Verbis suis progress. sedat.*] Aut dicitur hoc communiter de diebus crescentibus & decrescentibus, quando sol longiore aut breuiore tempore obit partem eam celi, quæ supra aliquos est, id est, τὸ ἄνω ἡμισφαίριον. Quod fit vbique ante & post æquinoctia in ijs regionibus quæ non habent punctum verticale in circulo æquinoctiali. Aut proprie indicatur historia quæ legitur Iosue vndecimo, in libris Græcis, cap. de insistente Sole.

7 *Ad statum ad temp. s.*] id est, ad statum temporis sui, nimirum nocturni.
8 *Signum feriarum.*] τῶν νεομηνιῶν. Qui dies festi fuerunt Iudæorum. & mensis nomen ἐτυμολογῶν ducit à minuendo, vt sit μεὶς μείων. sicut vertens annus πλείων dictus est, quo conuersio solis compleretur.
10 *Vas castrorum.*] Si est vera scriptura, quemadmodum videtur, referetur id quod dicitur, ad eam figuram sermonis Hebraici, qua siderum multitudo appellatur militia celi.
12 *In verbis sancti.*] κατ' ἐξοχὴν, Dei æterni. Iudicatum, inquit, faciunt Dei æterni, id est, exequuntur id quod ille iudicio suo statuit.
14 *Curuauit celum flexu.*] Arcus scilicet ille, quæ Græcis ἶρις est, id est, flexus illius curuatur præclara specie in celo.
15 *Sedauit niuem.*] Non permittit vt nix cadat, sed fulgurat & tonat arbitrio suo.
17 *Parturire terram fe.*] ὠδίνησε. verbo hoc est vsus διαθέσει ἐνεργητικῇ. Et mox: *in visione ipsius.*] ipso aspiciente, vel ad conspectum, id est, nutum ipsius.
20 *Palorum cacum.*] Quæ sunt scilicet acuta, & mucronum figuram habent, eaque est guttarum quæ congelauerunt.
24 *Est nebula.*] Vel, nebula studiosa, id

eſt, accelerans & mitigans gelu. vel, ſanatio ſtudioſa, id eſt opportuna. Reperitur autem in quibuſdam libris κατὰ σπουδὴν ὁμίχλης δρόσος.

27 *Diſcrimen cetorum.*] id eſt, diuerſa genera cetorum. reperitur tamen & alia ſcriptura, κτίσις κητῶν, id eſt, creatio cetorum.

29 *Ipſe eſt hoc vniuerſ.*] id eſt, Ipſe eſt ſolus omnia. hoc eſt: omnium quæ extitere & originem habent, & totius vniuerſitatis rerum creatarum autor & effector & conſeruator.

IN CAP. XLIIII.

11 *Viri miſericordiæ.*] Vel, benefici ipſi & miſericordes. vel, quibus benignitas diuina propitia fuit.

26 *Requieuit illa.*] nimirum benedictio, quæ & peruenit ad Iacobum & in illo permanſit.

IN CAP. XLV.

3 [illegible] a. repreſ-
[illegible] deſ[illegible]

7 *Iacobum & Israëlum.*] Posteritatem Iacobi & Israeli. id est, Iacobigenas & Israeligenas.

8 *Pact. conu. sæc.*] id est, perpetuum atque sempiternum.

11 *In vasis robor.*] de ornatu & instrumentis sacerdotij ista intelligenda sunt. nominarunt autem & Latini periscelidem & Epomidem, vtentes nominibus Græcis. Nos interpretando ijs sumus vsi, quæ extant in Latina interpretatione Exodi, cap. 28.

12 *Feminal. & tunicam.*] ἐλλειπτικῶς, vt desit indutus fuit. vel, repetendum potius est verbum ἐνεδύσατο.

16 *Indicijs veritatis.*] δήλοις ἀληθείας. id est, δηλωτικοῖς. Sic enim septuaginta: ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν.

18 *Coronam auream su.*] Septuaginta, πέταλον vocarunt, id est, laminam. & mox: *Signi sanctitatis.*] Septuaginta ita: ἐκτύπωμα σφραγῖδ… …τμα κυρίου.

21 *J… …rentur.*] καταπάρπωσις & καρπ… …τις, leguntur in septuagi… …e. Sunt autem eadem ὁλο… …ύμενα.

23 …] id est, perpetua æt…

… …auit.] οὐκ εὐδόκησε, ἀντι-

φραστικῶς, vt: οὐ γήθησεν ἀχιλλεύς. valde diſplacuit hoc Deo æterno.
40 *Præſes ſanct. in populo.*] Atque eſt fortaſſe ſcriptura vera: προςάτην ἁγίων ἐν λαῷ αὐτοῦ.

IN CAP. XLVI.

6 *In manu eius retroc.*] Perficiente eo hoc imploratione ſua.
9 *Et in deſcenſu.*] id eſt, aduentu & præſentia ſua, καὶ τῇ ἐπισκοπῇ.
10 *Potentem princ.*] Sectator fuerat enim, inquit, potentis principis, nimirum Moſis.
15 *Vt aſcend. altitud. ter.*] Vel, vt eſſet ipſe excelſus in terra promiſſa Iſraelitis. vel, vt euaderet in loca altiora in terra illa.
17 *Etiam iudices.*] ἔλλειψις eſt, & repetenda propoſitio, id eſt, initium cap. 44. congruenter, αἰνετέοι, id eſt, iudices quoque laudibus celebrandi ſunt.
18 *Permutetur in filijs ipſ.*] Pium votum eſt. hoc autem precatur: vt reſpondeat horum celebritati celebritas filiorum, id eſt poſteritatis, translato verbo de permutatione pecuniarum.
24 *Soporis ſæculi.*] in hoc ſæculo ſeu æui ſui, ſeu æterni. Et mox: 25. *Ab vniuerſa car-*

ſa carne.] ab vllo mortali.

IN CAP. XLVII.

7 *In decem milibus.*] Populus ſcilicet. κατὰ τὸ τῆς χειρουσῶν ἆσμα βασιλειῶν η'.

15 *Diuerſatus eſt populus in lat.*] id eſt, tutus & lætus, Hebraica figura ſermonis. Ita autem pro noſtra intelligentia Græca ſumus interpretati, cum ſcriptura quidem facile potuerit mutari, vt ex κατέλυσαν fieret κατέλυσεν. Sed poteſt etiam talis eſſe ſententia: Per ipſum, nimirum Dauidem, id eſt, propter res præclare geſtas virtute patris, Salomo filius quaſi diuertit in lata & ampla tam regione quam quiete.

19 *Anima tua.*] id eſt, ſapientia animi tui, vel quæ profluxere de animo tuo ea oppleuerunt orbem terrarum.

20 *Contentum hoc fuit pace tua.*] ἠγάπησε. amplexum eſt pacem. vel ἡ γῆ ἠγάπησε. vel fortaſſe verum ſit ἠγάπησαν. id eſt, omnibus grata acceptaque fuit pax regni tui. Reperitur autem in quibuſdam libris ἠγαπήθης.

24 *Inclinaſti viſcera tua.*] affectionem animi tui, ea tunc fuit amoris.

25 *Ut dim. fieret dom.*] Ex regno, integro ſcilicet, vt fieret dimidium. Simplicius eſſet: τυραννίδα. & ſcribitur in quibuſdam libris, τυραννίδας.

31 *Populi ſtulticiam.*] συνθέσει, id eſt, appoſitione αὐξητικῶς. hiſtoria autem eſt nota, de ſtulta deliberatione Roboami, cum iuuenibus, ſpreto conſilio ſenum.

IN CAP. XLVIII.

8 *Et Prophetas ſucc.*] ἐναλλαγὴ ἀριθμοῦ. habuit enim ſucceſſorem Eliſſæum, & eſt μετ' αὐτὸν μετὰ σεαυτόν.

14 *Et in ſopore vatic. eſt corp. eius.*] Vel, moriturus iam vaticinatus eſt, vel in mortui corpore fuit vis Prophetica, κατὰ τὰ ἐν τῷ ιγ'. τῆς δ'. τῶν βασιλειῶν. Nam κοίμησιν, id eſt, ſoporem ſignificationem habere obitus, Hebraici ſermonis figura, notum eſt.

20 *Rupem præcip.*] ἐπεξεργασία τῶν ἐν τῷ κ'. τῆς δ'. τῶν βασιλειῶν.

IN CAP. XLIX.

Eſt ἀκατάλληλος in his quoque, ſicut plurimis in locis, ἡ λέξις. Sunt autem metaphoræ indicantes iucunditatem ſuauis memoriæ Ioſiæ.

IN CAP. L.

1 *Sartum tect. præſt.*] ὑπέρξεψεν. Niſi forte eſt ve-

eſt verum : ὑπέρεψιν. Quo tegendi & ornandi induſtria & ſtudium ſignificatur, vt ἰλ. ά ἐπὶ γηὸν ἔρεψα.

2 *Analemma ſublime.*] Sunt enim Latini Græco hoc, vt alijs multis, nomine vſi. Quod extat apud Vitruuium in doctrina horologiorum. habet autem Græcum nomen ſignificationem, operis alte educti, id eſt, ὑψώματος.

3 *Nimis anguſta fu.*] maxima fuit copia aquarum. vt poëta: Sinumq; ruperunt nummi. id eſt, non potuerunt capere. Et mox: *æs ipſum.*] appoſitione, id eſt, receptacula ingentia ærea.

4 *Et oppugnauiſti.*] Obſcurum hoc eſt in hiſtoriæ ignoratione. Sed ſuſpicari aliquis poſſit, in archetypo fuiſſe: πολυωρήσας, quo ſignificaretur defenſio & cura munitæ vrbis. Et mox: *In exitu domus veli.*] dici videtur, eum celebratum eſſe frequentia glorioſa populi exeuntem de loco templi, qui locus velo tegeretur.

11 *Perfectionem gloriat.*] id eſt, amictum perfecte glorioſorum, & ornatum vndiq; ſpecioſum.

13 *Carminum modos.*] adminiſtrando celebrationem canticorum. Quod cum dici ἀκυρότερον videretur, mutarunt ſcilicet aliqui μέλη in μέρη. Niſi forte in archetypo hoc

fuit, & pro illo eſt hoc repoſitum. Sic autem ſignificarentur partes hoſtiarum. Cum quidem etiam μέλη ſignificent partes eas, ſecundum Ariſtotelem in corporibus animantum, quæ habent partes alias, id eſt membra, vt caput, pectus.

23 *Ornatus Domini.*] id eſt, decor conuentus & congregationis ſolennis.

28 *Secundum dies ſæc.*] vel, perpetuo & ſemper. vel, ſicut ſæculis antiquis.

IN CAP. LI.

5 *Rictib. paratis ad deu.*] βρυγμῶν, quo ſignificatur fremitus beſtiarum inhiantium prædæ.

6 *De compl. affl.*] Scribitur alicubi ἐκ πυλῶν, de portis afflictionum. Quæ eſt phraſis Hebraica nota.

17 *Priuſquam oberrarem.*] vel peregrinando peragrarem loca externa. vel, laberer in errorem.

18 *De flore protrud. vuæ.*] περκαζούσης, id eſt, quæ poſt florem, incipit matureſcere.

22 *Tribuam potentiam.*] id eſt, laudem celebrationemq́ potentiæ perſoluam.

24 *In effectione famis.*] μεταφορικῶς. vel, reb. anguſtis atq; duris. vel in penuria ſapientũ. Reperitur autem etiam hæc ſcriptura: ἐν

ποιήσει

ποιήσει ὅλῃ μοῦ.) Quod eſſet ſimplicius, vt hoc diceretur: In omni facto meo accurate exquiſiui ſapientiam.

30 *Sicimis.*] Ioſephus libro 9. narrationum antiquarum ſcribit: Alexandri Macedonis temporibus habuiſſe metropolin Samaritas Sicima, *πόλιν κειμένην πρὸς τῷ Γαριζὶν ὄρει, καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους.* Hæc eſt ſcilicet in litteris ſacris Sichem.

APPENDICVLA.

Neq; *παραφραστικῶς* ſcriptum iſtud interpretandũ duxi, neq; explicationes alias adiungi, niſi pertinentes ad verborum noſtræ editionis ſignificationes, ſtudui, cũ in vtroque genere labores aliorum præclari extẽt. Recognoſcenti autẽ edita à me, quod præter indicata alia quædam in mentem mihi venirent, etiam illa adijcere viſum eſt. Cap. 111. numero 9. *Hoc op. extr.*] *προσανοικοδομηθήσεται.* Sententia eſt: Hinc exiſtet incrementum tibi, cum debeantur peccatis tuis detrimenta. Nam ædificationem Hebraica phraſi, ſignificare augmentum, ſtabilimentum, emolumentum, conſtat. Cap. 1x. num. 5. *in ill. pœnis.*] Nolui aliud facere de Græco nomine, quam quod illud ſignificare in eo ſermone animaduertiſſem. Grauis aũt certe pœna

externos tuta erunt itinera eius.

9 *Hic eff. imbr.*] Deus æternus ipſum religioſe colentibus largitur facultatem & copiam profluentis ex ipſis ſapientiæ.

15 *Inſerit ſibi.*] ἐμποιεῖ, facit vt ſe extet etiam mortuo celebritas nominis.

17 *Apud riuū humidū.*] vel, apud fluxionem humidi. Qui erit riuus, ſeu aqua defluens.

22 *Quid eſt iſtud.*] nimirum quod imperauit Deus, id eſt, τὸ πρόσταγμα, & qualis euentus eſt futurus mandati?

24 *Salutare eius.*] τὸ σωτήριον, ſalutis & incolumitatis omnis effectionem & opus.

35 *Qui autor eſt, ſedabunt.*] Iſto verbo ſimiliter actionis ſignificatione poſtea autor vtitur. Poſſet tamen ita quoque accipi: κοπάσουσι κατὰ τὸν θυμὸν, id eſt, ſecundum excandeſcentiam. Sed quid eſt ποιήσαντος αὐτόν; Alicubi ſcribitur αὐτοὺς, quod ideo videtur ab aliquo mutatum non poſitum ab autore libri, quia ad πνεύματα non congruit. Vel hoc igitur dici ſuſpicari licet: ſedabūt ipſam illam excandeſcentiam creatoris ſui. Vel, eius excandeſcentiam, qui illius autor eſt, id eſt, à quo illa proficiſcitur.

38 *Ortu ipſius læt.*] id eſt, efficacitate eius exultabunt, & ad munera mandata exequenda erunt in promtu. Nam & χρείας alicubi non χεῖρας legitur, & non ἀνατολῇ, ſed

ἐντολῇ,

ἐντολῇ, quod esset simplicius.

IN CAP. XL.

3 *Post diuersas cogit.*] ἐλλειπτικῶς, vt desit μετά. Et congruunt cum his Horatiana:

Inter spemq; metumq; & curas inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

6 *Simulacrum.*] Expressa species imitando. sed alibi μλώιμα.

7 *Tanquam in dieb. speculæ.*] id est, in dubia & turbulenta ac solicita quiete, qualis est collocatorum in specula quapiam, & facies belli, est, conspectus hostium.

13 *Omnis largitio & iniust.*] ἐν δίσ. id est, omnis largitio iniusta, & munerum corruptela. Sicut: Molemq; & montes, id est, molem montium.

15 *Dum manus aperit.*] Seu pandit, id est, dum largitione acquirit gratiam aliorum. Est enim certe, manum aperire, Hebræis, munificum esse. Vel hoc dicitur: Dum pandit manus ad accipiendum. Vel, tantillo momento lætabitur, quo manus pandi solet, vt intelligatur læticiam impij esse breuem & euanescentem. & mox 16. *Progenies.*] ἔκγονα. legitur alibi ἔγγονα, id est, nepotes seu posteri.

19 *Ultra vtràque.*] Si nihil deest, ἀκυρολογία in his est. Hoc enim indicari videtur, rem

non par

non partam labore, sed oblatam fortuita prosperitate optatiorem esse cæteris emolumentis. Nam quo proprie referas ἀμφότερα hoc loco non extat. Alios autem & hoc loco aliud vel legisse vel intellexisse, apparet.

24 *Amic. & sod. occ.*] In Græcis hoc loco multa exponuntur ἐλλειπτικῶς. Significatur autem ista esse præclara illa quidem, sed superari tamen commoditate ab alijs.

28 *Vt sibi aliquis auxil. qu.*] ἐλλειπτικῶς, aliud scilicet, aut aliunde. paulo ante autem, deminutio, ἐλάττωσις, detrimentum est.

29 *Operuit eum.*] Omni gloria oppleuit eum, in quo scilicet est, αὐτόν τινα.

31 *Non habet victum in ratione vitæ.*] non subducit rationem rerum ad vitam necessariarum. vel, non ita viuit, vt rationem vitæ ineat.

IN CAP. XLI.

4 *Qui amisit patientiam.*] Qui redactus est ad vltimam desperationem.

18 *Sapientia occ. & Thes.*] Si occultetur sapientia, & non appareat Thesaurus, nihil habet commoditatis vtraque res.

20 *Verecund. comm.*] aliquis scilicet ista audiens, aut legens.

28 *defi-*

28 *Defixionis cubiti ſupra pa.*] Vel prohibetur indecorus geſtus in menſa dum cibus capitur. vel hoc fortaſſe innuitur: μὴ ἐπὶ χοίνικος καθῆσθαι, συμβολικῶς.

32 *Hominis generoſi.*] Si talis te auerſetur. Id quod merito leuitatis aut futilitatis accidere ſolet. Sed legitur in quibuſdam libris, non εὐγενοῦς ſed συγγενοῦς. Ita fuerit ſententia: Pudeat te auerſi vultus tui à cognato tuo.

33 *Ablatæ par. & don.*] id eſt, ſi auferas rurſum, quod dediſti.

IN CAP. XLII.

Et iterationis & ſerm.] ἓν διὰ δύο, pudeat iterati ſermonis ad auditum, id eſt, vt offendantur aures alicuius loquacitate tua.

13 *Obſignari mulier.*] id eſt, accurate cuſtodiri, vt ea ſolent, quibus ſignum annuli imprimitur.

21 *Ignominioſus in populo.*] id eſt, celebris crimine & famoſus. Eſt autem ſignificatio ἐκκλήτου propria euocati, id eſt, ſubito accerſiti ad conſilium. & erat magiſtratus τῶν ἐκκλήτων olim Spartæ, quod nomen & in Oreſte Euripidis extat. Sed nunc quid aliud autor ſignificare voluerit, quam quod interpretati ſumus, non video. & poſtea, 24. γνώμη eſt ὑπερβολική.

30 *Abyssum & cor peruest.*] id est, perscrutatur profunda cordis, ἐν δίσ. Nam cor hominis inscrutabile est, alteri nimirum homini.

31 *Signa sæculi.*] id est, omnis æternitas designata est coram ipso & exposita oculis eius.

IN CAP. XLIII.

Superbientis sublimis.] ὕψους. Est autem hoc, celum. Vt in versu Tragico:

ὁρᾷς τὸνδ' ὕψοῦ τὸνδ' ἄπειρον αἰθέρα.

Ex quo Ennius fecit: Sublime candens.

2 *Perferens nun. glor.*] ἐν ἐνδόξῳ. præclarum & speciosum ait esse aspectum solis nuntij lucis diurnæ. Sed alibi scribitur, ἐν ἐξόδῳ, quo indicaretur ortus solis.

6 *Verbis suis progress. sedat.*] Aut dicitur hoc communiter de diebus crescentibus & decrescentibus, quando sol longiore aut breuiore tempore obit partem eam celi, quæ supra aliquos est, id est, τὸ ἄνω ἡμισφαίριον. Quod fit vbique ante & post æquinoctia in ijs regionibus quæ non habent punctum verticale in circulo æquinoctiali. Aut proprie indicatur historia quæ legitur Iosue vndecimo, in libris Græcis, cap. de insistente Sole.

7 *Ad ſtatum ad temp. ſ.*] id eſt, ad ſtatum temporis ſui, nimirum nocturni.

8 *Signum feriarum.*] τῶν νεομηνιῶν. Qui dies feſti fuerunt Iudæorum. & menſis nomen ἐτυμολογῶν ducit à minuendo, vt ſit μεὶς μείων. ſicut vertens annus πλείων dictus eſt, quo conuerſio ſolis compleretur.

10 *Vas caſtrorum.*] Si eſt vera ſcriptura, quemadmodum videtur, referetur id quod dicitur, ad eam figuram ſermonis Hebraici, qua ſiderum multitudo appellatur militia celi.

12 *In verbis ſancti.*] κατ' ἐξοχὴν, Dei æterni. Iudicatum, inquit, faciunt Dei æterni, id eſt, exequuntur id quod ille iudicio ſuo ſtatuit.

14 *Curuauit celum flexu.*] Arcus ſcilicet ille, quæ Græcis ἶρις eſt, id eſt, flexus illius curuatur præclara ſpecie in celo.

15 *Sedauit niuem.*] Non permittit vt nix cadat, ſed fulgurat & tonat arbitrio ſuo.

17 *Parturire terram fe.*] ὠδίνησε. verbo hoc eſt vſus διαθέσει ἐνεργητικῇ. Et mox: *in viſione ipſius.*] ipſo aſpiciente, vel ad conſpectum, id eſt, nutum ipſius.

20 *Palorum cacum.*] Quæ ſunt ſcilicet acuta, & mucronum figuram habent, eaq; eſt guttarum quæ congelauerunt.

24 *Eſt nebula.*] Vel, nebula ſtudioſa, id

eſt, accelerans & mitigans gelu. vel, ſanatio ſtudioſa, id eſt opportuna. Reperitur autem in quibuſdam libris κατὰ σπουδὴν ὁμίχλης δρόσος.

27 *Diſcrimen cetorum.*] id eſt, diuerſa genera cetorum. reperitur tamen & alia ſcriptura, κτίσις κητῶν, id eſt, creatio cetorum.

29 *Ipſe eſt hoc vniuerſ.*] id eſt, Ipſe eſt ſolus omnia. hoc eſt: omnium quæ extitere & originem habent, & totius vniuerſitatis rerum creatarum autor & effector & conſeruator.

IN CAP. XLIIII.

11 *Viri miſericordiæ.*] Vel, benefici ipſi & miſericordes. vel, quibus benignitas diuina propitia fuit.

26 *Requieuit illa.*] nimirum benedictio, quæ & peruenit ad Iacobum & in illo permanſit.

IN CAP. XLV.

3 *Signa repr.*] id eſt, miracula. repreſsit autem, id eſt, fecit vt dicta eius deſinerent in miraculis. vel, verbis ipſius aliorum miracula refutauit.

7 *Iacobum & Iſraëlum.*] Poſteritatem Iacobi & Iſraeli. id eſt, Iacobigenas & Iſraeligenas.

8 *Pact. conu. ſæc.*] id eſt, perpetuum atque ſempiternum.

11 *In vaſis robor.*] de ornatu & inſtrumentis ſacerdotij iſta intelligenda ſunt. nominarunt autem & Latini periſcelidem & Epomidem, vtentes nominibus Græcis. Nos interpretando ijs ſumus vſi, quæ extant in Latina interpretatione Exodi, cap. 28.

12 *Feminal. & tunicam.*] ἐλλειπτικῶς, vt deſit indutus fuit. vel, repetendum potius eſt verbum ἐνεδύσατο.

16 *Indicijs veritatis.*] δήλοις ἀληθείας. id eſt, δηλωτικοῖς. Sic enim ſeptuaginta: ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν.

18 *Coronam auream ſu.*] Septuaginta, πέταλον vocarunt, id eſt, laminam. & mox: *Signi ſanctitatis.*] Septuaginta ita: ἐκτύπωμα σφραγῖδος, ἁγίασμα κυρίου.

21 *Integro fructu offerentur.*] καταχάρπωσις & καρπώματα & ὁλοκάρπωσις, leguntur in ſeptuaginta interpretatione. Sunt autem eadem ὁλοκαρπούμενα & ὁλοκαυτούμενα.

23 *In diuturnitate celi.*] id eſt, perpetua æternitate.

31 *Nequaquam approbauit.*] οὐκ εὐδόκησε, ἀντι-

 φρασι-

φραστικῶς, vt: οὐ γήθησεν ἀχιλλεύς. valde displacuit hoc Deo æterno.

40 *Præses sanct. in populo.*] Atque est fortasse scriptura vera: προστάτην ἁγίων ἐν λαῷ αὐτοῦ.

IN CAP. XLVI.

6 *In manu eius retroc.*] Perficiente eo hoc imploratione sua.

9 *Et in descensu.*] id est, aduentu & præsentia sua, καὶ τῇ ἐπισκοπῇ.

10 *Potentem princ.*] Sectator fuerat enim, inquit, potentis principis, nimirum Mosis.

15 *Vt ascend. altitud. ter.*] Vel, vt esset ipse excelsus in terra promissa Israelitis. vel, vt euaderet in loca altiora in terra illa.

17 *Etiam iudices.*] ἔλλειψις est, & repetenda propositio, id est, initium cap. 44. congruenter, αἰνετέοι, id est, iudices quoque laudibus celebrandi sunt.

18 *Permutetur in filijs ipsi.*] Pium votum est. hoc autem precatur: vt respondeat horum celebritati celebritas filiorum, id est posteritatis, translato verbo de permutatione pecuniarum.

24 *Soporis sæculi.*] in hoc sæculo seu æui sui, seu æterni. Et mox: 25. *Ab vniuersa car-*

ſa carne.] ab vllo mortali.

IN CAP. XLVII.

7. *In decem milibus.*] Populus ſcilicet. κατὰ τὸ τῆς χειρουργῶν ᾆσμα βασιλειῶν η'.

15 *Diuerſatus eſt populus in lat.*] id eſt, tutus & lætus, Hebraica figura ſermonis. Ita autem pro noſtra intelligentia Græca ſumus interpretati, cum ſcriptura quidem facile potuerit mutari, vt ex κατέλυσαν fieret κατέλυσεν. Sed poteſt etiam talis eſſe ſententia: Per ipſum, nimirum Dauidem, id eſt, propter res præclare geſtas virtute patris, Salomo filius quaſi diuertit in lata & ampla tam regione quam quiete.

19 *Anima tua.*] id eſt, ſapientia animi tui, vel quæ profluxere de animo tuo ea oppleuerunt orbem terrarum.

20 *Contentum hoc fuit pace tua.*] ἠγάπησε. amplexum eſt pacem. vel ἡ γῆ ἠγάπησε. vel fortaſſe verum ſit ἠγάπησαν. id eſt, omnibus grata acceptaq; fuit pax regni tui. Reperitur autem in quibuſdam libris ἠγαπήθης.

24 *Inclinaſti viſcera tua.*] affectionem animi tui, ea tunc fuit amoris.

25 *Vt dim. fieret dom.*] Ex regno, integro ſcilicet, vt fieret dimidium. Simplicius eſſet: τυραννίδα. & ſcribitur in quibuſdam libris, τυραννίδας.

31 *Populi ſtulticiam.*] συνθέσει, id eſt, appoſitione αὐξητικῶς. hiſtoria autem eſt nota, de ſtulta deliberatione Roboami, cum iuuenibus, ſpreto conſilio ſenum.

IN CAP. XLVIII.

8 *Et Prophetas ſucc.*] ἐναλλαγὴ ἀριθμοῦ. habuit enim ſucceſſorem Eliſſæum, & eſt μετ' αὐτὸν μετὰ σεαυτόν.

14 *Et in ſopore vatic. eſt corp. eius.*] Vel, moriturus iam vaticinatus eſt, vel in mortui corpore fuit vis Prophetica, κατὰ τὰ ἐν τῷ ιγ'. τῆς δ'. τῶν βασιλειῶν. Nam κοίμησιν, id eſt, ſoporem ſignificationem habere obitus, Hebraici ſermonis figura, notum eſt.

20 *Rupem præcip.*] ἐπεξεργασία τῶν ἐν τῷ κ'. τῆς δ'. τῶν βασιλειῶν.

IN CAP. XLIX.

Eſt ἀκατάλληλος in his quoque, ſicut plurimis in locis, ἡ λέξις. Sunt autem metaphoræ indicantes iucunditatem ſuauis memoriæ Ioſiæ.

IN CAP. L.

1 *Sartum tect. præſt.*] ὑπέρξαψεν. Niſi forte eſt ve-

eſt verum: ὑπέρεισιν. Quo tegendi & ornandi induſtria & ſtudium ſignificatur, vt ἰλ.ά. ὅτι νηὸν ἔρεψα.

2 *Analemma ſublime.*] Sunt enim Latini Græco hoc, vt alijs multis, nomine vſi. Quod extat apud Vitruuium in doctrina horologiorum. habet autem Græcum nomen ſignificationem, operis alte educti, id eſt, ὑψώματος.

3 *Nimis anguſta fu.*] maxima fuit copia aquarum. vt poëta: Sinumq; ruperunt nummi. id eſt, non potuerunt capere. Et mox: *æs ipſum.*] appoſitione, id eſt, receptacula ingentia ærea.

4 *Et oppugnauiſti.*] Obſcurum hoc eſt in hiſtoriæ ignoratione. Sed ſuſpicari aliquis poſsit, in archetypo fuiſſe: πολυωρήσας, quo ſignificaretur defenſio & cura munitæ vrbis. Et mox: *In exitu domus veli.*] dici videtur, eum celebratum eſſe frequentia glorioſa populi exeuntem de loco templi, qui locus velo tegeretur.

11 *Perfectionem gloriat.*] id eſt, amictum perfecte glorioſorum, & ornatum vndiq; ſpecioſum.

13 *Carminum modos.*] adminiſtrando celebrationem canticorum. Quod cum dici ἀκυρότερον videretur, mutarunt ſcilicet aliqui μέλη in μέρη. Niſi forte in archetypo hoc

fuit, & pro illo est hoc repositum. Sic autem significarentur partes hostiarum. Cum quidem etiam μέλη significent partes eas, secundum Aristotelem in corporibus animantum, quæ habent partes alias, id est membra, vt caput, pectus.
23 *Ornatus Domini.*] id est, decor conuentus & congregationis solennis.
28 *Secundum dies sæc.*] vel, perpetuo & semper. vel, sicut sæculis antiquis.

IN CAP. LI.

5 *Rictib. paratis ad deu.*] βρυγμῶν, quo significatur fremitus bestiarum inhiantium prædæ.
6 *De compl. affl.*] Scribitur alicubi ἐκ πυλῶν, de portis afflictionum. Quæ est phrasis Hebraica nota.
17 *Priusquam oberrarem.*] vel peregrinando peragrarem loca externa. vel, laberer in errorem.
18 *De flore protrud. vuæ.*] περκαζούσης, id est, quæ post florem, incipit maturescere.
22 *Tribuam potentiam.*] id est, laudem celebrationemq; potentiæ persoluam.
24 *In effectione famis.*] μεταφορικῶς. vel, reb. angustis atq; duris. vel in penuria sapientū. Reperitur autem etiam hæc scriptura: ἐν

ποιήσει

ποιήσει ὅλῃ μοδ.) Quod eſſet ſimplicius, vt hoc diceretur: In omni facto meo accurate exquiſiui ſapientiam.

30 *Sicimis.*] Ioſephus libro 9. narrationum antiquarum ſcribit: Alexandri Macedonis temporibus habuiſſe metropolin Samaritas Sicima, πόλιν κειμένην πρὸς τῷ γαριζὶν ὄρει, καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ ἰουδαίων ἔθνους. Hæc eſt ſcilicet in litteris ſacris Sichem.

APPENDICVLA.

Neq; παραφραστικῶς ſcriptum iſtud interpretandũ duxi, neq; explicationes alias adiungi, niſi pertinentes ad verborum noſtræ editionis ſignificationes, ſtudui, cũ in vtroque genere labores aliorum præclari extẽt. Recognoſcenti autẽ edita à me, quod præter indicata alia quædam in mentem mihi venirent, etiam illa adijcere viſum eſt. Cap. III. numero 9. *Hoc op. extr.*] προσανοικοδομηθήσεται. Sententia eſt: Hinc exiſtet incrementum tibi, cum debeantur peccatis tuis detrimenta. Nam ædificationem Hebraica phraſi, ſignificare augmentum, ſtabilimentum, emolumentum, conſtat. Cap. IX. num. 5. *in ill. pœnis.*] Nolui aliud facere de Græco nomine, quam quod illud ſignificare in eo ſermone animaduertiſſem. Grauis aũt certe

pœna eſt vel ſola infamiæ ſi virgini probrũ inferatur. Cuius participis non poſſunt nõ eſſe maximæ offenſiones. Cap. x. N. 13. *gloriam adh.ind.*] id eſt,facit Dominus vt ſimul illuſtres ſint ἐπαγωγαὶ. id eſt,inflictæ calamitatẽs animaduerſionis.Cur enim aliter nomen iſtud hoc loco interpretarer,cauſſa eſſe non videbatur. N. 22. *Ante ſortem.*] πρὸ τοῦ λαχεῖν. Cap. XVI. N. 18. *procella eſt*] appoſitione. Inſtar turbinis & procellæ iſta ſunt,impedientis proſpectum.C. XVIII.N.7. *Cuius rationes ſubd.*] Effugere dicit rationem omnem vel tempus quo vita degatur,vel diem quo mors obeunda ſit. N. 28. De humanis dominis & ſeruis hæc omnino accipienda puto. C. XIX. N. 8. *Si non deliquiſti.*] Hoc etiam de Græcis intelligi videtur poſſe : Si non pertinet ſilentium illud ad conſcientiam peccati,fac illud præſtetur. C. XX. N. 19. *Adeo ruina.*] vel,ſic ruina malorum celeriter adueniet, vt irruere mala ſolere dicat, ad lapſum linguæ, id eſt, nugatorias, futiles, mendaces loquelas. C. XXII. N. 3. *fil. a. naſ. ad de.*] Simpliciter hoc accipi poterit de patrimonij detrimento. Vt ille ait apud Comicum, conſeruata filia herum damno auctum eſſe. Num. 28. *Spec. & appar.*] Quidam πειγραφὴν de re anguſta atque contracta interpretati ſunt. De quo licet quæratur.

tur. Cap. xxv. Num. 11. *Omnem pl. et non pl.*] & mox: *Omne detr. & non detr.*] Diſtinctè hæc omnia accipi poſſunt, præ cæteris deteſtante autore animi perturbationem, & improbitatem ſexus muliebris, & ab infeſtis aduerſa, & vltionem hoſtilem. vt hoc dicatur: Quamuis potius plagam accipere ſatius eſſe, quam eam quæ cordi impingatur, & quæuis perpetienda aduerſa potius, quam quæ ab odio flagrantib. inferantur. & cætera explicari poterunt ſimiliter. C. xxvi. N. 22. *Pro ſputo.*] eſt res ſordida atque futilis. ſum autem interpretatus σίαλον ſignificatione σιέλου. id enim in neutro genere nomen ſignificat. Quod ſi τὸν σίαλον autor intelligi voluit, comparari talis mulier porco dicetur. σίαλοι enim pingueſcentes ſagina porci ſunt. Quod ſequitur autem: *Turris mortis.*] id ſic dicitur vt turris fortitudinis. Et eſt λόγος αὐξητικός: Meretricis conſuetudinem eſſe ſordidam & impuram, ſed nuptæ cum altero vſum (quod flagitiũ adulterij eſt) turrem mortiferam, id eſt, certam & ſtatutam mortem. C. xxxiii. N. 3. *Ne ſis vlli carni ſuperfl.*] licebit, vt opinor, ex iſtis hanc quoque ſententiam elicere: Ne aduerſus vllum genus viuentium pecces in eo quod nimium eſt. vt modum ſeruare ſemper præcipiatur. C. xxxviii. N. 7.

N. 7. *Bonus odor.*] si εὐωδία verum est, aliter nimirum interpretanda hæc esse patet. C. XXXIX. N. 29. *Ad salſ.*] συγκριτικῶς hoc generaliter dici accipio: vt copia maxima sit aquæ salsæ, id est, maris, sic in impias gentes effundi iram Dei. Nam historia peculiaris huc pertinens mihi nota non est. C. XL. N. 31. *Vict. in ra. v.*] Potest simpliciter hoc dictum ita quoque accipi: Eius vita rationem vitæ non habet. Quasi talis vita non sit habenda pro vita. C. XLIII. N. 12. *Statuent iudic.*] Aliqui duas dictiones κατὰ κρίμα interpretati fuere, non discrepante sententia. C. XLIIII. N. 18. *Reconciliatio.*] Retinui hoc, cum nihil aliud dicatur, quam illis temporibus iræ diuinæ oppositum fuisse Noam, qui instar precij esset, quo generis humani salus redimiretur. C. XLVI. Num. 18. *Et nomen præcl.*] vel simplicius: Et nomen præcl. existim. eorum, quod perm. vt repetatur verbum, frondescant, seu rursum virescant frondibus. Cap. XLVIII. Num. 10. *Ad coarg.*] ἐλεγμοὺς. κατ' ἐλεγμούς. Alibi tamen ἐλεγμός. Alibi ἐν ἐλεγμοῖς.

FINIS.